
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/leonisxiiipontif0017unse

# LEONIS XIII

## PONTIFICIS MAXIMI

# ACTA

VOL. XVII.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1898

ALMA COLLEGE
262.13
LIBRARY
A455-13
Alma, Calif.

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO S. R. E. CARDINALI RICHARD

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

PARISIOS

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nuperrime, per sollemnia Christi nascentis, singularis plane ritus in omni Gallia peractus est, sacerrimis a Baptismo promissionibus renovatis et confirmatis; quo ritu nihil certe praeclarius esse atque opportunius poterat ad saecularem cumulandam celebritatem initae apud Francos christianae fidei. Tuae interea supervenere litterae, significantes quoddam te consilium, eximia quae est sollertia tua, suscepisse, quod cum ea ipsa celebritate omnino congruere, neque carere bono religionis fructu videatur. Nam propediem annus explebitur quintus et vicesimus, ex quo monumentum templi votivi, bene precante decessore Nostro, ista in urbe principe condi coeptum est sacratissimo Cordi Iesu Servatoris; ut ibi summa eius clementia, com-

muni nationis nomine, Sedi Apostolicae et patriae misere afflictis diu noctuque exoraretur. Anniversariam igitur facti memoriam tu censuisti ampliore caeremoniae cultu prosequendam et sollemni quoque gratiarum actione decorandam; eâque re postulasti a Nobis ut idem tuum propositum et comprobare auctoritate vellemus, et sacris muneribus quorum est apud Nos potestas, augere. — Utrumque Nos propenso animo facimus; atque eo facimus libentiores quod, quum primum in Monte Martyrum, illustri sane et augusto loco, initia fundarentur templi, iam tum cogitatione praecepimus quantum inde gloriae Christo Domino, et quam praestabilia bona in gentem essent profectura. Commemorabile autem est, quemadmodum in eam tam ingentis operis molitionem studia universae Galliae exarserint, miro animorum consensu, pietate insigni, splendida et constanti liberalitate. Nobismetipsis collaudandae rei non una oblata est occasio. Id nimirum praestitimus per litteras ad te, dilecte fili Noster, datas anno MDCCCXCI, quum aedificatio eo esset perducta ut religioni publicae satis patere posset; auspiciique causâ quaedam sacrae indulgentiae beneficia placuit Nobis largiri. Tum litteris item ad te triennio post perscriptis, gratulati id sumus, templum religiose adeuntium permagnam iam esse frequentiam vicemque perpetuam adorantium, atque etiam haberi ibidem veluti sedem altricem optimorum vario genere institutorum: Nostrae autem gratulationis testem, donarium adiecimus ac pecuniae pro facultate subsidium. — Quocirca faustam, quae rursus

incidit, opportunitatem pari Nos voluntate amplexi, nobilissimam Gallorum gentem simul adhortamur ad praeclari operis perfectionem, simul vehementer iubemus suarum spem rerum in Christo Deo potissimum collocare. Neque enim obscure apparet divinae providentiae de ea consilium: ut quae sacratissimi Cordis Iesu mysterium prima accepit mirabiliter benignissimeque patefactum, ad Ipsum *poenitens et devota,* tamquam ad fontem miserationis omnisque gratiae, maiore in dies fiducia confugiat, feliciter haustum sanationem malorum, voluntatum in commune bonum concordiam, earum rerum omnium fecunditatem, quarum ope religio et patria veris floreant incrementis. — Itaque Nos egregium propositum tuum, dilecte fili Noster, probantes et confirmantes, potestatem tibi facimus ut in eodem templo votivo, constituta die huius mensis XVII, sacra augusto Iesu Nomini recolendo, sollemni ritu Nostraque auctoritate benedicas populo cum plenaria admissorum indulgentia, qua praesentes fruantur, consuetis ad id conditionibus rite servatis. Praeterea, quicumque eo ipso die idem templum pie visitaverint, ibique preces aliquas Deo ad mentem Nostram effuderint, eis omnibus et singulis indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in Domino concedimus. Tribuimus autem ut huiusce indulgentiae participes esse possint Religiosi utriusque sexus in Communitatibus degentes, qui legitima impediti causa templum ipsum nequeant adire, dummodo conditionem, quae supra dicta est, orandi ad mentem Nostram, in ecclesia vel sacello proprio coram

venerabili Sacramento praestiterint. — Habe interea, dilecte fili Noster, peculiaris erga te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem, quam cuncto item Galliae clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Ianuarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FERDINANDO ARCHIEPISCOPO PISANO

PISAS

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Obsequii et amoris significationem, quam, redeuntibus Christi Infantis mysteriis, abs te accepimus, tametsi per se admodum gratam, eo gratiorem fecerunt nunciata in magnam Dei Matrem apud Pisanos sollemnia. Sane, rei catholicae in Etruria vestra rationes progressum non mediocrem, excitatis ad agendum animis, proxime habuisse quotidieque habere omnino patet: neque a Nobis opportuna commendationis hortationisque officia, vel coram vel per litteras, defuerunt. Id autem memoratu iucundum est, ac meliorum usque rerum praefert auspicium, quantum scilicet de utilitatibus adhuc perceptis debeatur Virgini Beatissimae, quippe cuius et amplificare honorem et implorare opem alacriores vos hisce annis contenderitis. Huc nimirum illustre nunc testimonium accedit ex iis quae

istic, consilio et impulsu tuo, Venerabilis Frater, clerus populusque apparat, unanimi gratiae studio, Patronae excelsae, ob beneficia insigni diademate a patribus redimitae. Ab Ipsa vero aeque potenti ac benignissima, saluberrimorum munerum copia, quorum indigent tempora, in singulos ordines certe est profectura; atque etiam in illos late profluet qui frequentes ex omni Etruria, ea est fraterna animorum coniunctio et communis pietas, ad sollemnia vestra convenerint. Haec sunt quae Nos tecum, Venerabilis Frater, toto animo exoptamus: votorumque conciliatricem esse volumus Apostolicam benedictionem, quam tibi primum, et Canonicorum Collegio omnique clero et populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Ianuarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEMINARIVM VATICANVM CVM SCHOLIS
CANONICE CONSTITVITVR

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod Romani Pontifices sui maxime muneris esse duxerunt, ut adolescentes clerici in spem sacerdotii diligenti institutione informarentur, eaque de causa, in Urbe potissimum, tam multa ipsis domicilia aut nova excitarunt aut iam instituta effecerunt multiplici accessione meliora, in idem Nos, vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio, nullis neque curis parcentes neque sumptibus, sedulam operam studiumque omne contulimus. In his et nomine dignum et loco existimavimus, cui animum adiiceremus, sacrum Seminarium Vaticanum, prope venerandam Petri Cathedram atque in ipsis paene Pontificis oculis collocatum. Quod quidem Seminarium a Decessore Nostro fel. rec. Urbano VIII institutum Apostolicis Litteris datis die XXV mensis Octobris anni MDCXXXVI, ab sui ortu per Romanos Pontifices nova in dies incrementa suscepit. Nam et ab ipso Urbano VIII dos illi est adsignata nummo-

rum scutatorum annua summa quadringentorum ex imperata pecunia mille et tercentum a Capitulo Vaticano ad eum diem soluta Seminario romano; cui pecuniae accessit annua summa nummorum scutatorum biscentum, quam ipsum Capitulum pontificia auctoritate statuit ex aere suo in perpetuum eidem Seminario solvendam, et quidquid praeterea contingeret largitionum in posterum. Seminarium autem esse iussit obnoxium auctoritati Cardinalis Archipresbyteri atque Capituli Vaticani, quibus alumnos adsciscendi concessit arbitrium, indulsitque immunitatem iurisdictionis Cardinalis in Urbe Vicarii omnibus et singulis tum personis tum bonis, quae ad ipsum pertinerent. Ad haec privilegiis omnibus, indultis, beneficiis uti dedit, non solum quibus cetera Seminaria fruerentur, ad leges Concilii Tridentini constituta, sed etiam quae Seminario romano essent propria.

Deinde Alexander VII et Innocentius XI leges edidere, quibus Seminarium optime regeretur. Benedictus vero XIII domicilium adsignavit exstructam musivis elaborandis domum, adiectis duabus casulis atque horto. Accessit Cardinalis Ducis York Archipresbyteri donatio, quam sanxit Clemens XIII. Seminarii rem et commoda auxit Gregorius XVI, adsignata in perpetuum scutatorum summa quadringentorum ex reditibus Pii Operis *Carcarasi*. Habitationi denique per aestivos menses prospexit Pius IX, qui alumnis incolendam concessit, donec aedes praesto essent commodiores, partem domus Rev. Fabricae prope Aram Caeli.

Quibus omnibus quamvis per decessores Nostros Se-

minario Vaticano satis esset consultum, nihilominus praesens conditio rerum plura adhuc exposcere videbatur, cum ad Petri Cathedram, Deo sic disponente, fuimus evecti. Nam et iustus alumnorum desiderabatur numerus, et aptior tempori ratio studiorum. Quare delectos ad rem e Capitulo Vaticano viros unaque cum ipsis Cardinalem Archipresbyterum sedulo percontati de rerum statu, quae ad Seminarium pertinerent, statim et habitationis commoditati et alumnorum quum institutioni tum numero atque utilitati prospeximus. Amplificari primum aptarique aedes, praesertim in usum scholarum, iussimus, ad eamque rem argenteos italicos ad quinque millia adsignavimus a Rev. Fabrica solvendos. Videlicet Fabricae curatorum proventus, quibus illi antea fruebantur, Seminario in perpetuum cedere constituimus, exceptis, qui ad ipsos pertinerent, argenteis italicis sex millibus et quingentis: qui proventus una cum reditibus legati Borromei in exstruendis, ut diximus, aedibus fuerunt adhibiti. Aquae Paulinae unciam e canali Fontis Aquilonis, in hortis Vaticanis, deducendam concessimus. Aditum ad templum Sanctae Marthae, quo tamquam sacello uterentur, exstructo ambulacro, patefaciendum curavimus. Alumnorum denique rusticationi satis abunde providimus.

His ita dispositis, adolescentium animos ad rectos mores et ad solidam salubremque doctrinam informandis animum intendimus. Quare illud in primis propositum fuit, ut magistri deligerentur, qui publice essent docendi facultate instructi, per quos sive Seminarii alumni, sive

clerici Basilicae addicti, sive externi adolescentes, quibus aeque aditum fecimus, ad iustam tum e Gymnasio tum e Lyceo missionem assequendam fierent idonei. Itaque quinque Sacerdotia Basilicae Vaticanae in magisterium constituimus, quorum duo maiora, minora reliqua: quibus beneficiis praeceptores pro mercede gauderent, chori onere commutato. Mox constituta pecunia italicorum nummorum sexdecim millium, additum Lyceo theatrum physices et historiae naturalis. Postremo restitutis philosophiae adiectisque sacrarum disciplinarum studiis, explendis quadriennio, opus absolvimus.

Ita comparatum rebusque omnibus instructum domicilium, curavimus ut non minus commodis abundaret, quam optimorum iuvenum numero. Quamobrem Nostro nomine invitari episcopos iussimus, maxime viciniores, ut quos clericos vel in suis Seminariis, quae essent clausa, recipere, vel inopia doctorum, ad legum civilium normam, instituere non possent, ad Seminarium Vaticanum mitterent, Nostris sub oculis educandos. Ratum habuimus et confirmavimus quod cum Cardinali Episcopo Portus et S. Rufinae convenerat de alendis in hoc ipso Seminario, sumptu eius, alumnis certo numero, quorum ternis quibusque gratuitus concederetur locus. Tres item gratuitos locos totidem Carpinetanis adolescentibus fecimus, datis ad eam rem argenteis italicis quinquaginta millibus. Decem et septem dimidia parte gratuitos esse decrevimus, quibus partim ex proventibus Rev. Fabricae, partim ex legato Borromeo dotales adsignavimus fundos.

His rebus aucto Seminario Vaticano et in conditionem longe meliorem restituto, nihil ferme desiderandum supererat, nisi ut documentum Apostolicum ederetur, quo et ipsum, quamvis iam canonice erectum, ut diximus, a praedecessore Nostro fel. rec. Urbano VIII, novae quasi erectionis canonicae vim et robur acciperet, Lyceumque ac Gymnasium una cum scholis Philosophiae ac Theologiae, auctoritate Nostra, canonice, modo, primum erigerentur. Nos itaque fastigium imponentes operi et Seminarium Vaticanum novo amoris testimonio prosequi cupientes, veterem eius erectionem simulque iura omnia, praerogativas, privilegia eidem hactenus concessa, auctoritate Apostolica vi praesentium Litterarum confirmamus, idemque nomine et titulo *Pontificio* decoramus. Praeterea ad Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis atque doctrinae, ad decus utilitatemque maxime Urbis, Lyceum ac Gymnasium cum scholis Philosophiae ac Theologiae, in hoc ipso Seminario iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus: imprimisque ut eius alumni magisterii lauream aliosque gradus academicos in sacris disciplinis ad consueta Universitatum, ut vocant, statuta et leges assequi valeant.

Quo autem huius Nostri Instituti securitati et commodo melius prospiciatur, aedes ad Sanctae Marthae, quibus Seminarium cum suis scholis in praesens utitur, quarum dominium ad Rev. Fabricam antea pertinebat, eidem Seminario addicimus atque attribuimus una cum

aquae Paulinae ductu; easque aedes, vi praesentium Litterarum, in ipsius iura in perpetuum cedere declaramus atque decernimus. Eidem templum ac monasterium Sanctae Marthae, quorum Pius IX fel. rec. usum concesserat, itemque rusticanam domum in Sabinis comparatam auctamque sumptibus Nostris cum continenti templo Sancti Aegydii, pariter attribuimus. Quos iam instituimus aere Nostro gratuitos locos tres Carpinetanis, totidem adolescentibus aliis ex reditibus Rev. Fabricae, et quatuordecim dimidia parte gratuitos ex legato Borromeo, pariter hisce Litteris confirmamus, eamque institutionem perpetuo servari volumus ac mandamus. Dotales etiam fundos, quos Lyceo, Gymnasio et tradendae theologiae adsignavimus, sive ex quinque Sacerdotiis Vaticanae Basilicae in magisterium constitutis, sive impositis in Sacerdotia quaedam pensionibus, sive ex proventibus, quibus Rev. Fabricae Oeconomus antea fruebatur, denuo, hisce Litteris, auctoritate Nostra Apostolica confirmamus atque sancimus. Iubemus autem ea omnia diligentissime servari, quae ad eiusdem Seminarii cum suis scholis prosperitatem procurandam ac tuendam Nostris his Litteris statuenda existimavimus, imprimisque sarta tectaque haberi quae sequuntur.

I. Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae Seminarii eiusque scholarum caput esto, eodemque iure polleat, quo in sua quisque Ecclesia episcopus.

II. Canonicus Vaticanus Seminario Praefectus a romano Pontifice eligatur ac tamdiu maneat in eo munere, quam diu Pontifici ipsi placuerit.

III. Rebus Seminarii procurandis quatuor adsciscantur viri ad Tridentinae Synodi leges, iique ex Vaticanae Basilicae Canonicis eligantur a Pontifice, exceptis Canonico Praefecto et Cardinalis Archipresbyteri Vicario, quod alter sit eius procurationis necessario particeps, alter Cardinalis Archipresbyteri absentis vice fungatur.

IV. Cardinalis Archipresbyter, cum rector Seminarii renunciandus sit, audito Canonici Praefecti consilio, sacerdotes aliquot proponat, qui ad id munus obeundum idonei visi fuerint, ut ex iis summus Pontifex eligat quem alumnis Seminarii regendis rectoris nomine et potestate praeficiat.

V. Cardinalis Archipresbyteri erit, audito Canonico Praefecto, idoneos sacerdotes duos rectori socios ac vicarios adiungere, quibus prorectoribus expeditius ille atque utilius munere suo perfungi queat, tum in iis, quae alumnorum disciplinam, tum in iis, quae oeconomicam Seminarii curationem spectant.

VI. Quod ad spiritualem alumnorum curam attinet, idem Cardinalis Archipresbyter, audito Canonico Praefecto, sacerdotem eliget in pietatis magistrum et ordinarium Confessarium, qui in Seminarii aedibus degat, isque ita delectus alumnorum animis ad virtutem et religionem studiose ac prudenter provehendis operam navet, muniaque omnia, quae parochi sunt, exerceat.

VII. Cardinali Archipresbytero ius esto sacros Ordines conferendi non modo Clericis suis, sed aliis etiam alumnis, de consensu Episcoporum, idque in suae iurisdictionis lo-

cis, proinde etiam in urbano, itemque in rusticano Seminarii domicilio.

VIII. Eidem potestas esto magisterii lauream aliosque gradus academicos alumnis sacrarum disciplinarum conferendi quos, facto doctrinae periculo uti mos est, idoneos esse constiterit.

IX. Doctores decuriales, praesertim tradendis maioribus disciplinis, proponantur a coetu virorum e Capitulo Vaticano rebus Seminarii curandis, praeeunte Cardinali Archipresbytero; isque coetus referet ad Pontificem, ad quem spectabit electio.

X. Festis ritu maximo diebus, alumni in Basilicam ad sacra solemnia, ut assolet, conveniant universi. Ceteris diebus festis, arbitrio Praefecti designandis, iidem alumni, praeter quam qui sacris in Basilica de more intersint, ad s. Marthae sacris sollemnibus inserviant: itemque se caeremoniis sanctissimis ac piis concionibus opportune exerceant.

Haec volumus et statuimus, ac propterea decernimus has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore suosque integros effectus sortiri atque obtinere, et illis, ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus plenissime suffragari.

Volumus insuper ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii Nostri, subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto [1], xv Kalendas Februarias, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. Card. MACCHI

A. Panici Subdatarius

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cvgnonivs

[1] A Nativitate mdcccxcvii.

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

SALVATORI BRANDI E SOCIETATE IESV

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Lucubrationibus ceteris, quibus ad hanc diem in adserenda veritate Ecclesiaeque maiestate vindicanda ingenium studiumque tuum probasti, aliam opportune admodum addidisti, nuperque sententiam Nostram de anglicanis ordinationibus, argumentis ex historia sacraque theologia petitis, illustrare ac tueri elaborasti. Pergratae plane Nobis acciderunt industriae tuae; quas eo maiori futuras utilitati novimus, quod libros a te conscriptos, in aliarum etiam gentium sermonem versos, edendos esse nunciasti. Consiliis laboribusque tuis benigne ut Deus obsecundet optamus. Ut vero paternae Nostrae dilectionis pignore solatioque ne careas, Apostolicam tibi benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Ianuarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# CONSTITVTIO APOSTOLICA

## DE PROHIBITIONE ET CENSVRA LIBRORVM

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad

inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea

quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X decessores Nostri, certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridenti-

nas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices, nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent

atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere á Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus.

Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis,* et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida,* quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

# DECRETA GENERALIA

## DE PROHIBITIONE ET CENSVRA LIBRORVM

---

## TITVLVS I.

### DE PROHIBITIONE LIBRORVM

#### Capvt I.

*De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

## Capvt II.

### *De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

## Capvt III.

### *De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab

Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

## Capvt IV.

### *De Libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

## Caput V.

*De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

## Capvt VI.

### *De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

## Capvt VII.

### *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

## Capvt VIII.

### *De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

## Caput IX.

*De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros

a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

## Capvt X.

### *De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

# TITVLVS II.

## DE CENSVRA LIBRORVM

### Capvt I.

*De Praelatis librorum censurae praepositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n.° 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

## Caput II.

*De censorum officio in praevio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant,

studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

## Capvt III.

### *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

## Caput IV.

### *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

## Caput V.

### *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haeretico-

rum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, ea-

dem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto [1], VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. CARD. MACCHI

A. PANICI Subdatarius

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. CVGNONIVS

[1] A Nativitate MDCCCXCVII.

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

FRATRI IOANNI BAPTISTAE CESCHI A SANCTA CRVCE

MAGNO ORDINIS HIEROSOLYMITANI MAGISTRO

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Magisterii tui annum quintum et vicesimum quum sis propediem expleturus, ex toto Ordine Equites communem gratulationem velle tibi singulari modo testari, allatum est. Quod illi dum merito sane ac pie faciunt, admodum libet gratulationis Nostrae peculiare argumentum coniungere, quum tuâ ipsius, tum eiusdem Ordinis causa. Huic quippe Ordini iam diu Nos opinione et benevolentia propensi omnino fuimus; ac saepe commeminisse iuvit originum eius nobilitatem, res fortiter praeclareque gestas, utilitates rei catholicae et civili partas multiplices. Nostraeque voluntatis reapse probandae non una se dedit cupientibus Nobis occasio; quum praesertim quaedam Ordinis ornamenta, adversis temporum casibus intermissa, licuit ex auctoritate Apostolica restituere. Ad te autem,

dilecte fili, quod proprie attinet, virtutis tuae laudes probe habemus perspectas; tuum novimus in beati Petri Cathedram atque in Nos animum studiumque; novimus tua in ipsum Ordinem promerita egregia. Tibi enim debetur non minime si latius ille probatus per Europam est, si numero praestantiaque alumnorum floret et gratia Principum, si opera aeque congruentia instituto suo ac temporibus apta quotidie insistit et provehit. Tu igitur, cum votis etiam Nostris, gaude ac fruere plena honoris laetitiaeque commemoratione; eamque Deus, qui merenti benignissimus obtulit, faustam et salutarem non tibi modo sed Ordini universo iubeat evenire. Perge vero, dilecte fili, Ordinem tenere deditum devinctumque Apostolicae huic Sedi; quam quidem ipse sicut constanti fide atque obsequio coluit, ita in se beneficiis ac patrocinio providam nullo non tempore est expertus. Votorum felix auspicium habeas in Apostolica benedictione, quam tibi effusam universoque Ordini peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VICARIATVS APOSTOLICVS NYASSAE IN AFRICA

ERIGITVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ex hac, quam nullis quidem meritis Nostris divinitus obtinemus, beati Petri Cathedra, e sublimi tamquam specula, in omnes vel longo terrarum marisque tractu seiunctas partes orbis oculos convertimus, tum in boreales gelu concretas regiones tum in Africae aestuosas, et quae catholico nomini bene prospere ac feliciter eveniant ex officio supremi Apostolatus procurare studemus. Hoc consilio iam inde ab anno MDCCCLXXXIX Missionem Nyassae in Africa ereximus, et titulo Pro-Vicariatus Apostolici decoratam, regendam concredimus Instituto Missionariorum Algeriensium. Dein anno MDCCCLXXXXV, per decretum datum die X Decembris mensis, aliquantulum eiusdem Pro-Vicariatus prioribus immutatis confiniis, nova statuimus quae sequentia sunt, nempe ad Septentrionem linea possessionum Anglo-Germanicarum, ad Orientem lacus Nyassa

et limes possessionum Anglo-Lusitanarum, ad Meridiem limes earumdem possessionum, ad Occidentem gradus 30 longitudinis (Greenwich), qui a flumine Zambese adscendit ad lacum Bangweolo, ripae orientales huius lacus, limes occidentalis de Loembu et Urungu usque ad ostium fluvii Kafu. Verum quum res catholica illa in Missione uberiora in dies incrementa capiat, ideoque Nobis peropportunum modo visum sit, firmis remanentibus supra descriptis confiniis, Pro-Vicariatum illum ad Vicariatus Apostolici gradum evehere, et collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ipsi tempus advenisse censuerint, quo nominatam erectionem tuto perficere liceret, Nos haec quae infra scripta sunt statuenda existimavimus. Nimirum motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine. praesentium vi, Pro-Vicariatum Apostolicum Nyassae in Africa in Apostolicum Vicariatum erigimus constituimus, proprio Antistiti committendum, simulque praecipimus, ut ille Vicariatus eadem confinia retineat, quae per decretum sub die x Decembris anni MDCCCLXXXXV datum prior Missio obtinebat. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quo-

cumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostrae et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

VINCENTIO EPISCOPO CALLIPOLITANO

ADMINISTRATORI APOSTOLICO

DITIONIS TICINENSIS

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Curarum non extrema, ut Nostra quidem testantur acta, Ticinensi ditioni impendimus ad religiosam in ea rem tutandam promovendamque. Et quoniam exitus secundi spes nulla affulget, animorum si concordia desideretur; huc porro hortationes saepe diligentiasque adhibuimus, ut voluntatum coniunctionem eiusmodi foveremus. — Quamobrem haud aegre parum accidit Nobis quum de catholicis Ticinensibus accepimus, scindi eos contraria in studia in diversaque abire; indidem vero, quod erat pronum, vires ad audendum minui et conceptam boni expectationem adimi. — Hoc metu solliciti, prudentiaeque tuae, ut par erat, tribuentes admodum, tibi, Venerabilis Frater, componendorum animorum provinciam demandavimus. De su-

scepto autem negotio quae nuper ad Nos scripsisti, ostendunt profecto iure Nos in te fiduciam collocasse Nostram; tibique hanc merito laudem damus, quod penitus optatis Nostris et sapienter obsecundaveris. A coeptis igitur ne abstine, Venerabilis Frater: catholicos vero homines tibi strenue adlaboraturos confidimus, et diligentiae tuae, servata in episcopalem auctoritatem observantia adhibitaque consiliis edictisque tuis, quam debent, obeditione, felicem exitum conciliaturos. Haec ut pro communi desiderio vestraque maxima utilitate cedant, tibi ac fidelibus universis tuae vigilantiae creditis Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

DE NOVA CIRCVMSCRIPTIONE ET ERECTIONE DIOECESIVM IN REPVBLICA ARGENTINA

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In Petri cathedra, licet immeriti, divina favente gratia, positi, quum muneris Nostri sit spiritualibus necessitatibus et utilitatibus fidelium in omni regione consulere, libenter iis rebus perficiendis operam impendimus, quae ad hunc finem assequendum, opportune conducere, Deo adiuvante, arbitramur. Anno enim elapso MDCCCXCVI, Reipublicae Argentinae gubernium illustrissimum virum Carolum Calvo administrum suum cum liberis mandatis apud Berolinensem aulam, mense Decembri ad Nos mittendum curavit, peculiari eidem commisso munere agendi apud Apostolicam Sedem, ut tres novae dioeceses in Argentina regione erigerentur, et nova circumscriptio dioecesum in eadem regione existentium, Apostolica Nostra auctoritate decerneretur. In hunc effectum idem illustrissimus administer ex parte Argentini gubernii rerum gerendarum rationem huic Sedi proposuit, quae Nostrae supremae auctoritati ad

canonicum effectum subiiceretur. Oblatis igitur a dicto gubernio Argentinae Reipublicae precibus inclinati, totam rei gerendae rationem propositam, ad examen peculiaris consilii S. R. E. Cardinalium deferendam censuimus, ac de eorum sententia votis praedicti gubernii, iuxta eiusdem declarationes, annuentes, novam circumscriptionem dioecesum praedictae Reipublicae et trium novarum sedium Episcopalium in ea erectionem decrevimus, atque exequendam in eum, qui sequitur, modum statuimus.

Et in primis ecclesiasticae circumscriptionis statum, qui actu existit in Argentina Republica tum Archidioecesis Bonearensis, tum dioecesis Paranensis, nec non dioecesis Saltensis, quatenus opus sit, quorumcumque interesse habentium consensum de Apostolicae potestatis plenitudine supplentes, supprimimus et penitus extinguimus ad effectum libere procedendi ad trium novarum dioecesum erectionem, novamque Archidioecesis Bonearensis et dioecesum Paranensis et Cuyensis circumscriptionem, prout in Domino expedire visum est.

Praedicto circumscriptionis statu sic extincto, ac dismembratione et separatione respective, ut infra, exequenda, tum in Archidioecesi Bonearensi tum in dioecesibus Paranensi et Saltensi, tres novas Episcopales sedes in Argentina Republica, scilicet: primam in civitate *La Plata*, alteram in civitate *Sanctae Fidei*, tertiam in civitate *Tucumania*, pro tribus respective Episcopis nominandis, qui praedictis civitatibus et dioecesibus, ut infra constituendis, praesint, Synodum convocent, et omnia et singula iura,

officia et munia episcopalia habeant et exerceant, cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, honoribus, privilegiis, gratiis, favoribus et indultis personalibus realibus et mixtis, quibus aliae in Argentina Republica existentes Cathedrales Ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto seu privilegio particulari gaudent, atque frui et gaudere poterunt, Nostra auctoritate Apostolica erigendas constituimus. Quamobrem ad maiorem Dei gloriam, catholicae religionis incrementum et fidelium bonum, matura deliberatione, motu proprio, ex plenitudine potestatis, civitates *La Plata, Sanctae Fidei* et *Tucumaniam* in civitates episcopales cum suis iuribus, honoribus, praerogativis, quibus aliae civitates in Argentina Republica pontificali sede insignitae, et earum cives utuntur et gaudent, erigimus et constituimus.

Episcopalibus igitur sedibus sic erectis, unicuique suam dioecesim atque territorium statuimus: ac primum ab Archidioecesi Bonearensi provinciam Bonearensem ac nationale territorium, vulgo *de la Pampa* dismembramus et omnino disiungimus, atque episcopali sedi *La Plata* pro sua dioecesi et territorio attribuimus et addicimus. Item a dioecesi Paranensi provinciam *Sanctae Fidei* dismembramus et omnino separamus, et episcopali sedi *Sanctae Fidei* pro sua dioecesi et territorio assignamus et constituimus, additis territoriis nationalibus, vulgo *del Chaco* et *Formosa*. Demum quoad episcopalem sedem *Tu-*

*cumanensem*, a dioecesi Saltensi provincias, vulgo *de Tucuman, de Catamarca* et *Santiago del Estero* dismembramus, et a dioecesi Saltensi dividimus, et episcopali sedi Tucumanensi pro sua dioecesi et territorio statuimus.

His novis erectionibus decretis et respective cum sua dioecesi ac territorio constitutis, ita novae circumscriptionis ecclesiasticae ratio et status in Republica Argentina modo efficitur, ut nempe Archiepiscopalis sedes Bonearensis ex civitate principe de Buenos-Aires cum suo foederali districtu ex insula, vulgo *de Matin Garcia*, actu efformetur, additis insuper territoriis nationalibus, vulgo *del Rio Negro* et *Chubut*, nec non *Santa Cruz*, ac terra, vulgo *del Fuego*, et demum insula *de los Estados*. Dioecesis autem Paranensis provincias *de Entre Rios* et *de Corrientes* nec non territorium nationale *de Missiones* comprehendat. Dioecesis Saltensis provincias *Saltae* et *de Jujuy* complectatur. Dioecesis vero Cordubae fines, finibus provinciarum *Cordubae* et *de la Rioja*, servato in omnibus pristino eius statu, contineantur. Ac demum dioecesis de Cuyo, provinciis sancti Ioannis de Mendoza et sancti Aloisii circumscribatur, addito territorio nationali *de Nenquen*.

Quoad vero cathedrales ecclesias trium novarum, ut supra, dioecesum statuimus, ut executor praesentium litterarum Nostrarum, infra nominandus, ex delegata eidem Apostolica facultate, ac nomine Sanctae Sedis, eas respective designet, decernat, et erigat, prout opportunius expedire in Domino iudicaverit.

Quod pertinet autem ad congrua pecuniae subsidia,

quibus tres novarum sedium Episcopi nominandi pro sua mensa ac dote necessario indigent, reditus et proventus, quos gubernium Argentinum ab anno nuper elapso in tabulis praesumptionis publicorum redituum et sumptuum *(Presupuesto general)* ministerii cultus suppeditandos constituit pro novis Episcopis eorumque episcopalibus Curiis ad instar aliarum Reipublicae dioecesum, novis nominandis Episcopis attribuimus et adsignamus.

Curae porro esse debebit tribus novarum sedium Episcopis nominandis, ut in unaquaque respective Ecclesia cathedrali, cathedrale Capitulum iuxta canonicas sanctiones, quum primum fieri poterit, erigatur. Ubi autem trium cathedralium ecclesiarum Capitula rite fuerint constituta, facultatem ipsis impertimus, statuta, ordinationes et decreta, iuxta sacrorum Canonum, et praecipue Concilii Tridentini praescriptiones conficiendi, quae tamen ab unoquoque respective Ordinario trium praedictarum Ecclesiarum Antistite approbanda et sancienda erunt. Interim usque dum cathedralia Capitula in tribus novis Episcopalibus sedibus erecta non fuerint, earum Antistites nominandi consilium sibi ex probatis et prudentibus ecclesiasticis viris assumant, quorum adiumento in maioribus expediendis suarum respective dioecesum negotiis utantur. vehementer cupimus et commendamus.

Munus insuper erit cuiusque ex tribus novis designandis Episcopis, ut ad formam decretorum Concilii Tridentini Seminarium dioecesanum in sua quisque dioecesi, quum primum fieri poterit, erigat et instituat, in

quibus iuvenes clerici ad virtutem et doctrinam ac pietatem accurate excolantur, atque ex obligatione in praesens a gubernio Argentino suscepta, peculiaris assignationis constituendae et suppeditandae cuique ex tribus novis dioecesibus pro viginti clericis earumdem dioecesum in Seminarium Archidioecesis Bonearensis recipiendis, Nos congruam assignationem cuique Seminario propriam, quum ea respective erecta fuerint, ad eorum statum vitamque tuendam, Gubernium facturum esse haud dubitamus.

Novam vero tum Archidioecesis, tum reliquarum Argentinae Reipublicae dioecesum dismembrationem aut circumscriptionem libere sanciendi, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitum vel Capitulorum assensum exquiri, vel territorialem ullam compensationem constitui et attribui opus sit, omnino et expresse liberam facultatem Nobis et huic Sedi Apostolicae reservamus.

Tres insuper Cathedrales Ecclesias in Argentina Republica noviter erectas, in suffragancas Archiepiscopalis et Metropolitanae Ecclesiae Bonearensis damus et assignamus; ita, ut ipsae, donec aliter ab Apostolica Sede disponatur, Archiepiscopi Bonearensis Metropolitico iuri subesse debeant, volumus et decernimus.

Praedictarum pariter trium Cathedralium Ecclesiarum noviter, ut supra, erectarum fructus, iuxta reditus earumdem Episcopalium mensarum, de more taxari volumus, et in libris Camerae Apostolicae taxam hanc describi.

Praeterea ut omnia et singula documenta respicientia

paroecias ac loca ab archidioecesi Bonearensi, et a dioecesi Paranensi et Saltensi divulsa, ac novis erectis Episcopatibus La Plata, Sanctae Fidei et Tucumanensi addicta, a cancellariis, in quibus ante hanc novam circumscriptionem existebant extrahi, et cancellariis trium novorum Episcopatuum tradi, atque in iis perpetuo asservari debeant, volumus et praescribimus. Ea omnia autem, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in his praesentibus habita non est, firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere praecipimus. Quod si quae difficultas aut controversia, quoad praemissa in noviter erectis dioecesibus oriatur, ea ad hanc Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

Demum in executorem harum Litterarum Apostolicarum, Venerabilem Fratrem Vladislaum Castellano Archiepiscopum Bonearensem deputamus et instituimus, eidemque omnes facultates necessarias et opportunas, etiam subdelegandi quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam, ad praemissorum effectum tribuimus et conferimus, eidemque facta facultate, sive eius subdelegando. etiam definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. appellatione quacumque postposita, obligationemque eidem executori iniungimus mittendi ad hanc Sanctam Sedem intra sex menses exempla authentica actorum omnium, quae ad erectionem commissam per haec Apostolica scripta erit

emissurus, quibus plenam observantiam demandamus et stricte praecipimus.

Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, seu habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari, sed eas semper ex certa scientia cum potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, nullum prorsus et inane esse et fore decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non supra dictae Ecclesiae Bonearensis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis et concessionibus, omnibusque et singulis ordinationibus Apostolicis in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis, vel generalibus Constitutionibus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi specialis mentio habenda foret, ipsarum

tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea volumus, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, dismembrationis, erectionis, separationis, disiunctionis, applicationis, assignationis, attributionis, statuti, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto [1], XV Kalendas Martias, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. Card. MACCHI

A. Panici Subdatarius

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cvgnonivs

[1] A Nativitate MDCCCXCVII.

# DECRETVM

QVO

NONNVLLAE PAROECIAE AB ARCHIDIOECESI DE ANTEQVERA SEIVNGVNTVR

ET DIOECESI TEHVANTEPECENSI SVBIICIVNTVR

—

Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII obsequiose exposuit R. P. D. Eulogius Gregorius Gillow Archiepiscopus Metropolitanae Ecclesiae de Antequera in Mexicana Republica, suae dioecesis regimini et spirituali fidelium saluti perutile fore, si paroeciae vulgo Ecatepec, Filotepec, Mecaltepec, Negapa, Quiegolani, Luegaltepec nuncupatae, nec non vicariatus Ilacolulita dictus, ad districtum Yautepecensem pertinens, ab Archiepiscopali sua dioecesi, cui addicta et subiecta sunt, abscinderentur, et finitimae dioecesi Tehuantepecensi attribuerentur. Quamobrem memoratus Archiepiscopus Antequerensis Sanctitati Suae humiliter supplicavit, ut Apostolica auctoritate praedictas paroecias Ecatepec, Filotepec, Mecaltepec, Negapa, Quiegolani, Luegaltepec, vulgo nuncupatas, nec non vicariatus Ilacolulita ab Archidioecesi sua de Antequera separare, et dioecesi Tehuantepecensi adscribere dignaretur. Sanctitas autem Sua ad mei infrascripti Secretarii sacrae

Congregationis rebus Consistorialibus praepositae relationem, rebus omnibus mature perpensis, attento quod R. P. D. Iosephus Mora Tehuantepecensis Episcopus, praedictarum paroeciarum et vicariatus unionem suae dioecesi, non modo admiserit sed et in bonum cessuram dioecesis suae expresse declaravit, attento etiam quod Visitator Apostolicus in Mexicana regione in hanc rem sua officia contulerit, oblatae supplicationi benigne annuendum censuit; et de Apostolicae potestatis plenitudine paroecias, quibus nomen Ecatepec, Filotepec, Mecaltepec, Negapa, Quiegolani, Luegaltepec, nec non vicariatum vulgo Ilacolulita nuncupatum, cum omnibus in iisdem commorantibus et existentibus ab Archiepiscopali dioecesi de Antequera seiunxit et separavit, et easdem paroecias eumdemque vicariatum pariter cum omnibus et singulis in ipsis existentibus et commorantibus dioecesi Tehuantepecensi addixit et subiecit; ita ut praefatae paroeciae et vicariatus, ut supra divulsa et dismembrata, iurisdictioni Episcopi Tehuantepecensis eiusque successorum sint in posterum subiecta; prout hactenus Archiepiscopo de Antequera subiecta fuerunt, cum clausulis solitis et consuetis; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praemissorum autem executionem Sanctitas Sua committi voluit R. P. D. Nicolao Averardi Archiepiscopo titulari Tarsensi, et in Mexicana Republica Visitatori Apostolico, cum facultate etiam subdelegandi quamcumque aliam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, iniuncta obligatione intra sex menses mittendi ad hanc

sacram Congregationem authenticum exemplar executionis peractae, mandavitque hoc emitti decretum perinde valiturum ac si litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, et referri inter acta sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XVII mensis Februarii anno Domini MDCCCXCVII.

CAROLVS NOCELLA S. C. C. *Secretarius.*

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
GVSTAVO IOSEPHO EPISCOPO BRVGENSI

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod beati Idesbaldi, cui nuper caelitum beatorum honores confirmavimus, peractis rite sollemnibus, Nobis exuviarum eius particulam offerendam duxeris, suasit id tum grata in Apostolicam Sedem voluntas, tum pietas qua in Nos afficeris. Nos sane, quamvis munus ipsum, ut par est, maximi facimus, at multo gratius tamen habuimus, quod eo deferretur grato pientique animo. Gratias vero ut pro merito referamus, tibi, Venerabilis Frater, adprecamur impense ut, beato viro Idesbaldo exorante, quem fidei ardorem, nuperae celebritatis caussa, Brugenses cives conceperunt, illum non servent modo, verum in dies augeant operibusque alant christiano dignis. — Quod ne secus eveniat, munerum divinorum auspicem

praecipuaeque Nostrae benevolentiae pignus, tibi et gregi tuo Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

CLINO CROSTA SACERDOTI

NOVOCOMVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Theologicas disciplinas in sacris Seminariis recte et accommodate tradi plurimi interesse, eorum omnium iudicium est, qui exploratum habent quantum eae conferant ad religiosam rem tum apte tuendam, tum solide promovendam. Nos autem Episcoporum studium in hac re nunquam excitare destitimus; nec parum gratulamur, quod industriis Nostris secundo exitu responderi videmus. Quamobrem volumina a te nuper edita, quae Nobis obsequenti officio offerri placuit, libenti plane animo accepimus; hortamurque ut, Nostris obsecutus optatis, in tam utili caussa et praecipua, diligentiam tuam atque ingenium ulterius probare pergas. Ut vero de oblato librorum munere gra-

tias referamus, Apostolicam benedictionem, paternae Nostrae dilectionis testem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO
ERNESTO COMMER SACERDOTI
DOCTORI THEOLOGIAE TRADENDAE
IN REGIA VNIVERSITATE WRATISLAVIENSI
WRATISLAVIAM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Postquam Nos, per encyclicas litteras *Aeterni Patris*, philosophicas disciplinas ad fontes eos reducendas curavimus, unde retroactis aetatibus tantum hauserant luminis ac firmitatis, gratulari sane debuimus quod catholici ubique viri, facto veluti agmine, Nobisque, qua observantia par fuerat, morem gerentes, Thomae Aquinatis immortalia scripta assidua manu versanda, contentoque studio illustranda susceperint. Te quoque, dilecte fili, operam in hac re probasse tuam iam, abhinc annos quatuor, agnovimus, quum sex prima volumina *Annalium philosophicis ac theologicis disciplinis provehendis*, a te aliisque praeclari ingenii viris editorum, Nobis obtulisti. Nunc

vero, quum quatuor adhuc eorumdem Annalium voluminibus Nos donatos volueris, libet exantlati laboris te sociosque tuos exornare laude. Quae quidem laus, dum promeriti sit loco praemii, stimulos simul adiiciat ut coepto ne desistatis, profligatisque praeposterae philosophiae erroribus, Aquinatis doctrinas latius proferendas suoque in honore servandas adlaboretis. Paternae porro benevolentiae testis, divinorumque munerum auspex sit Apostolica benedictio, quam tibi ceterisque in scribendo sociis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Februarii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FLORIANO ARCHIEPISCOPO GNESNENSI ET POSNANIENSI
POSNANIAM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Catholicae fidei in Slavorum gentibus proferendae, quemadmodum insignes alii Ecclesiae Antistites, sic multo maxime inclaruit vir sanctissimus Adalbertus. Qui, Episcopus Pragensibus datus, ideo impiorum ausu de sede sua deturbatus videtur, ut populis idololatriae adhuc tenebris obvolutis christiani dogmatis lucem inferret. Etenim, Moraviam, Croatiam, Silesiam maioremque Poloniam apostolico studio rituque peragrans, gentes quamplurimas Christo addidit; tum Gnesnae diu moratus, Rhutenos adiit, atque ad Fishausiae sinum quam animis fidem indiderat, illustri martyrio, fuso sanguine confirmavit. — Merito igitur, nono a beati viri obitu vertente saeculo, memoriam illius sollemni celebritate instaurandam decrevistis; quod sane Gnesnensibus praecipue convenit, qui cum Episcopalis

cathedrae honorem ipsi Adalberto debent, tum exuviarum eius thesauro potiuntur. — Spem autem foventes, fore ut decreta beato Antistiti sollemnia haud sint collatura exigue ad pietatem augendam, quam ab eo maiores hauserunt, placuit fidelium voluntates sacrarum indulgentiarum concessione excitare; quas quidem, Venerabilis Frater, eisque conditionibus impertimus prout in adiecto decreto exhibentur. Caelestium praeterea munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem addimus, quam tibi universoque gregi tuae vigilantiae credito amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MICHAELI FELICI EPISCOPO TREVIRENSI
AVGVSTAM TREVIRORVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quamquam epistolis tuis, omne in Nos obsequium caritatemque testantibus, iucunde semper afficimur, quae tamen nuper perlata est, eo iucundius attulit Nobis solatium. Illustriore nimirum argumento cognovimus quam alte in tuo tuique populi animis fides pietasque insideat de illo providentissimi Dei instituto erga Ecclesiam suam, quod est primatus Pontificis romani: cuius pietatis communi nomine declarandae nactus es occasionem ex litteris encyclicis, quas non ita pridem dedimus, de unitate Ecclesiae. Sane quidem in illis consilium Nobis fuit nativam Ecclesiae effigiem speciemque in oculis constituere tum catholicorum, unde firmamentum caperent professionis suae, tum praecipue dissidentium, unde ad unitatem quaerendam salutare lumen et invitamentum haberent. De his

autem laetamur in Domino non paucos quotidie ex variis gentibus esse qui curis studiisque Nostris fideli voluntate et generosa respondeant. Quidni vero in vestra etiam Germania satis multi sint qui voci Nostrae suavissimaeque Sancti Spiritus impulsioni alacres obsecundent? Quidni et istinc felices libare fructus liceat, quos Pastori divino, munus creditum iamiam reddituri, confidenti animo afferamus?

Optata Nostra eademque tua velit ipsa Dei Parens fovere et ad exitum benignissime adducere deprecatione sua, quam tu Nobiscum tam enixe imploras. Interea tibi habentes gratiam de votis deque petriana stipe, fausta omnia vicissim precamur: auspicemque caelestium munerum, benedictionem Apostolicam tibi primum, et clero populoque tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
LAVRENTIO TIT. SANCTI HIERONYMI ILLYRICORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SCHLAVCH
EPISCOPO MAGNO-VARADINENSI
MAGNO-VARADINVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Optatus sane faustusque tibi illucescet dies alter a kalendis aprilibus, cum nimirum quinquagesimum sacerdotii tui natalem celebraturus, tuo tecum gratulante populo, sollemnes statasque Deo ages gratias. Praeclaram Nos quoque occasionem libenter nanciscimur, ut benevolentiam, qua te semper fuimus prosequuti, et testemur iterum, et paterno animo, quo iucunditatem tuam communicamus, uberius confirmemus. Accessio igitur gratulationis Nostrae laetitiam amplificet, quam merito de vitae usura sacrique ministerii diuturnitate concipis. Quo vero caelestium solatiorum ubertate te Deus augeat, diuque servet incolumem commissi gregis utilitatibus, Apostolicam bene-

dictionem tibi tuoque clero ac populo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

RAYMVNDO EPISCOPO FOROIVLIENSI

AD FORVM IVLII

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Experiendo novimus quam apte conferant ad pietatem in catholicorum animis fovendam maximeque ad observantiam erga Sedem Apostolicam augendam quae nunc fere ubique frequentantur catholicae consociationes, quique palam ab eisdem communes aguntur coetus. Quamobrem libenti comperimus animo quod a te nuper accepimus, fore nimirum ut in urbe ista societatum catholicarum Flaminiae regionis conventus habeatur. Confidimus profecto, si ea, ut par est, prae oculis retinebuntur quae a Nobis saepe sunt edicta, sique omnia peragentur Episcoporum auctoritate ac ductu, utilitates non exiguas ex agendo congressu orituras. Quibus utilitatibus persequendis ut alacriores animi studeant, utque munerum vobis divinorum ubertas faveat, Apostolicam benedictionem uni-

versis qui in coetu aderunt amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

MICHAËLI RVA MODERATORI MAIORI PIAE SOCIETATIS

A SANCTO FRANCISCO SALESIO NVNCVPATAE

AVGVSTAM TAVRINORVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pergratum habuimus librorum munus quod Nobis, universae, cui praees, societatis nomine, obtulisti. In quo quum officium observantiae ac dilectionis agnovimus, tum studium pervidimus, quo tu sodalesque tui, typographicae artis subsidio, adolescentis aetatis incolumitati, in iis quae ad fidem moresque pertinent, diligenter consulere contenditis. Dum gratias vobis de oblatis voluminibus agimus, meritam quoque de egregia voluntate laudem impertimus. Ut vestris autem coeptis continenti Deus benignitate faveat, Apostolicam benedictionem, Nostrae etiam dilectionis testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

FRANCISCO GASQVET SODALI BENEDICTINO

LONDINVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum per Nos ipsi, tum ex multorum praedicatione cognoscimus quibus in rebus et quo potissimum consilio exercere ingenium et calamum diu consueveris. Videlicet totus es in pertractatione historiae, nominatim Britannicae: et quae nobilissima laus est, illud habes propositum, tuas ut vigilias lucubrationesque studiorum optimorum ad illustrandum conferas tuendumque catholicum nomen. Nec sane frustra. Nam quae hactenus mandavisti litteris, acer investigator monumentorum, ea consentiunt eruditi viri proficere et valere ad incorruptam eventorum Britannicorum notitiam. Imo in hoc genere non sumus nescii pervicisse te, ut non paucos ex iis, quorum praeiudicata opinio minus favere Ecclesiae catholicae solet, repulsos veritatis viribus ad iudicia aequiora traduceres. Ita vel

experiendo intellexisti, sinceram praeteritarum rerum indagationem nomini quidem catholico nihil obesse, prodesse autem plurimum. Quamobrem perge, dilecte fili, multum pro veritate contendere: opinationes de Ecclesia, de Pontificatu romano praeposteras perge scribendo convincere. Hanc autem ipsam, quam ingressus es, scribendi disputandique viam fac insistas diligenter: sed tamen paulo comitatior. Opus enim cum habeas in manibus et non exiguae molis, et quod expedit esse mansurum, profecto commode facies, siquos adiunxeris tibi laborum tuorum adiutores et socios, idoneos illos quidem: qui scilicet ingenio simul atque aetate floreant. Qua ratione primum multo expeditius, quae habes instituta, conficies: deinde erudies ad disciplinam tuam, qui aliquando in isto ipso genere studiorum ipsimet elaborare utiliter queant. — Divinorum munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae testem, tibi Apostolicam benedictionem amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ADOLFO LVDOVICO TIT. SANCTI PETRI AD VINCVLA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PERRAVD
EPISCOPO AVGVSTODVNENSI
AVGVSTODVNVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nulla sane opportunior, ab Hierosolyma urbe, eucharistico conventui habendo sedes eligi poterat, quam Paraium Monachium, quod tua est in ditione positum. Ibi etenim Christus, qui in Sacramento augusto instituendo, divitias caritatis suae veluti effuderat, novo quodam uberiorique fonte has easdem divitias derivandas voluit, quum Cordis sui religionem manifestavit, indeque, agente maxime beata Margarita Alacoque, in Ecclesiam universam dilatavit. Nos igitur tuas litteras futuri conventus nuncias periucunde accepimus; probe autem experti quam libeat abunde Servatori Deo, in ista Paraiensi aede, ditissimam benignitatem suam hominibus testari, minime dubitamus

de secundo coetus exitu. Spem Nostram confirmat, dilecte fili Noster, auctoritas studiumque tuum in coetu ipso moderando. Ne vero desit, ad solandos animos optimamque voluntatem fovendam, benevolentiae Nostrae testimonium, tibi primum et universis, qui in conventu aderunt, Apostolicam benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Martii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

REGINALDO SARTHOV SODALI DOMINICIANO

SCARBOROVGHIAM

IN INSVLAM TOBAGVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si quid grati Nobis advenit, quum nuper octogesimum octavum aetatis annum feliciter, Deo dante, incepimus, tuae sane fuere litterae, quas, una cum fidelibus ab haeresi ad catholica sacra traductis, gratulaturus dedisti. Urget Nos Christi caritas, urget studium gentes omnes, quae a Nobis dissident, ad unicum Christi ovile adducendi. Quamobrem laetari Nos plane oportet, quum vehementi Nostro desiderio fieri satis quotacumque ex parte cognoscimus. Nos quidem novos istos filios peramanter complectimur et paterna dilectione hortamur, ut caeleste fidei munus, quod acceperunt, sancte inviolateque custodiant; ut simul Ecclesiae catholicae suum probent amorem, simul ceteris civibus sint exemplo ut ipsi etiam

idem Christi ovile cogitent et assequantur. Id ut pro votis accidat, utque gratum testemur animum, tibi, dilecte fili, et universis ac singulis fidelibus, qui catholico se nomini addixerunt, Apostolicam benedictionem, divinarum gratiarum auspicem, effuso corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
RESIDENTIA DIOECESIS IACOBOPOLITANAE
A CIVITATE IAMESTOWN IN CIVITATEM FARGO TRANSFERTVR
ET INDE TITVLVS IN FARGENSEM MVTATVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quum ex Apostolico munere, quo fungimur, omnium Ecclesiarum cura Nobis sit demandata, quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, attento studio praestare satagimus. Iam vero per litteras Apostolicas eadem hac forma die XII Novembris mensis anno MDCCCLXXXIX datas, in provincia ecclesiastica sancti Pauli Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis erecta fuit dioecesis Iacobopolitana cum episcopali residentia in urbe vulgo *Iamestown* nuncupata, a qua praefatus titulus desumptus fuit. Sed quum Venerabilis Frater Ioannes Shanley praefatae dioecesis Episcopus a Nobis enixe postulaverit, ut propter mutatas locorum conditiones eiusdem Ecclesiae titulus et Episcopalis residentia a *Iamestown* in *Fargo* mutaretur; Nos, omnibus rei momentis cum VV. FF. NN.

S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis attente perpensis, de Fratrum ipsorum consilio, memorati Antistitis preces benigne excipiendas censuimus. Quae quum ita sint, perpensis rationibus ipso ab Ordinario allatis, nec non attento Episcoporum comprovincialium voto, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, Iacobopolitanae dioecesis titulum in *Fargensem* mutamus, et Episcopalem illius residentiam in urbem *Fargo* nuncupatam edicimus transferendam. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VI Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

DILECTO FILIO
ALOISIO MARINI « CONSOCIATIONIS APOSTOLICAE »
IN ITALIA RECTORI
BASSANVM VENETIARVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae Nobis de Apostolicae Consociationis Presbyterorum saecularium in Italia constitutione et progressu exponi voluisti, magna animi Nostri accepimus iucunditate. Placet itaque incitamenta et laudes, dilecto filio Victori Lebeurier eiusdem Piae Societatis Praeposito Generali sub die XXXI Martii MDCCCLXXX a Nobis iam datas, tibi tuoque instituto iterare, eademque benevolentiae testimonia tibi significare. Ex huius enim consociationis in Italia incremento, qua sociis universis sancta et uniformis vivendi ratio proponitur, apprime confidimus, ut in saeculari clero pietas foveatur, in divino implendo ministerio coniunctio sub Episcoporum vigilantia solidetur, et mutua inter sacerdotes caritas firmetur atque augeatur. Hinc

presbyteris, hac spirituali consociatis amicitia, maximi momenti adiumenta compertum est obvenire, quum ad saeculi fugienda pericula, quibus sacerdos saepe saepius impetitur, tum ad animos piis et cordatis moderatoribus devinciendos, tum denique ad propositum viresque, auxilio consilioque fratrum, usque magis acquirendas. Huius itaque instituti iam partos in Italia fructus, uberiores fieri adprecamur a Domino; simulque sacerdotes hortamur, ut sibi suaeque saluti melius in dies prospecturi, huic societati dent nomen. — Interea, supernorum munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem tibi, tuoque instituto, sociisque universis libenter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO
LVCIDO MARIAE PAROCCHI
EPISCOPO PORTVENSI ET SANCTAE RVFINAE

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litteras accepimus, quae Nos certiores facerent de sententia quorumdam catholicorum, memoriam beati Ludovici Episcopi Tolosatium sollemni celebritate instaurandi. sexto vertente saeculo ab eiusdem obitu. Quum Nos sane non lateat huiusmodi propositum, si fausto non careat exitu, collaturum admodum tum ad viri sanctissimi honorem augendum, tum ad fovendam fidelium pietatem, libenti animo officia memoratorum catholicorum excipimus, omnesque, qui, te praeside, piis coeptis studium operamque adiicient, Apostolica benedictione donamus. Hanc etiam tibi, Venerabilis Frater Noster, divinorum munerum auspicem praecipuaeque Nostrae dilectionis testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

A SA MAJESTÉ IMPÉRIALE
MUZEFFER ED-DINE SCHAH DE PERSE

MAJESTÉ

Nous avons accueilli avec la plus grande satisfaction le Général Commandant Mirza Reza Khan à qui Votre Majesté a confié la noble mission de Nous apporter la nouvelle officielle de Son avènement au Trône Impérial de Perse. Ce n'était pas la première fois qu'une Ambassade solennelle de Perse était envoyée au Saint Siège: mais celle qui vient de s'accomplir au nom de Votre Majesté Nous a été particulièrement agréable, parce qu'elle Nous a fait connaître de mieux en mieux les sentiments de Votre Majesté envers Notre Personne, ainsi que son désir de maintenir les relations amicales, qui de tout temps ont existé entre le Saint Siège et la Cour de Perse. De Notre côté Nous tenons à assurer Votre Majesté de Notre parfaite correspondance à ses sentiments, et Nous La félicitons pour son avènement au trône de ses ancêtres, avec la confiance que les intérêts religieux de ses sujets catholiques ressentiront de plus en plus les avantages de ses

favorables dispositions. Voulant, en outre, donner à Votre Majesté un gage de Notre bienveillance, Nous chargeons Son Ambassadeur de Lui apporter de Notre part un tableau en mosaïque, qui sort de la Fabrique du Vatican, où Nous l'avions commis exprès pour l'offrir à Votre Majesté. Que ce souvenir de Rome puisse être auprès de Votre Majesté l'expression de notre amitié, tandis que Nous ne cesserons de former les vœux les plus ardents pour que le Dieu Tout-puissant comble de bonheur Votre Majesté et accorde toute prospérité à son vaste Empire.

Rome, du Vatican, le 12 Avril 1897, de Notre Pontificat l'année vingtième.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO MARIAE EPISCOPO CAPITIS HAITIANI
ADMINISTRATORI APOSTOLICO PORTVS PACIS
AD CAPVT HAITIANVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dioecesana synodo peracta, communes ad Nos dedisse litteras cum tibi cleroque tuo laudi vertimus, tum Nobis gratum admodum accidisse testamur. Nec una plane fuit iucunditatis causa, quam ex earum lectione percepimus. Praeterquam enim quod pietatem perviderem us et observantiam, quam in hanc Sedem Apostolicam pro officio fovetis, studium etiam comperimus, quo, nullis fracti laboribus aut deterriti difficultatibus, istis gentibus iuvandis religiosaeque rei proferendae strenue adlaboratis. De fructu, quem, Deo dante, in salutem animarum percipitis, vobis gratulamur ex animo. Uberiorem vero in dies ominati, tibi, Venerabilis Frater, clero tuo universo ac fidelibus tuae diligentiae commissis, Apostolicam benedictio-

nem, praecipuae Nostrae dilectionis testem, divinorumque munerum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

FELICI CHARMETANT SACERDOTI

PARISIOS

—

## LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tuas litteras accepimus, quae Nobis iucundissimae fuerunt. Ex iis enim, quod tamen et aliunde noramus, studium tuum agnovimus quo, coacta undique stipe, Armeniae gentibus suppetias ire elaboras. Industrias caritatis tuae merita prosequimur laude; vehementerque optamus ne desint in catholicis hominibus qui desiderio coeptisque tuis effuse obsecundent. Id ut accidat, libenter admodum tibi, dilecte fili, universisque, qui in Armenorum subsidium stipem conferent, Apostolicam benedictionem, Nostrae dilectionis testem, munerumque caelestium auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

SEDES EPISCOPALIS MONTIS VIDEI

AD ARCHIEPISCOPALIS ET METROPOLITANAE ECCLESIAE

GRADVM EVEHITVR

ET DIOECESES SALTENSIS ET MELENSIS ERIGVNTVR

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolici ministerii munus, quod pro universo catholico orbe Romano Pontifici maximopere incumbit, pastoralem illius movet sollicitudinem ut salubriori spirituali fidelium regimini et gubernio accurate prospiciat. Hinc Nos ut primum, divina disponente clementia, ad supremum catholicae Ecclesiae regimen fuimus assumpti, Apostolici Nostri muneris curas ad ea semper direximus, eaque omni studio et sollicitudine procurare non destitimus, quae commissarum Nobis animarum utilitati ac spirituali bono novimus profutura. Quam quidem specialem sollicitudinem erga fideles Americae Meridionalis gerimus, spiritualibus eorum necessitatibus occurrentes, sive novas dioeceses erigendo, sive novas ecclesiasticas provincias constituendo.

Quum igitur dilectus Nobis in Christo filius perillustris vir Ioannes Ydiarte Borda, Reipublicae de Uruguay Praeses, suo, et illorum Christifidelium nomine, vota ad hanc Apostolicam Sedem deferenda curaverit, ad hoc ut actualis Montis Videi Episcopalis Ecclesia et Sedes, in Archiepiscopalem et Metropolitanam Ecclesiam erigeretur, et ex quibusdam territoriis a peramplae eiusdem Ecclesiae subiectione divulsis, duae novae dioeceses erigerentur; Nos, considerantes quod, provida Ecclesiarum Praesulum administratione, christiana respublica per ea loca magis roborari, atque fructuosius pro auctore fidei Domino Nostro Iesu Christo florescere valeat, non haesitavimus piis eiusdem Praesidis precibus annuere, atque ita opportuniori rei sacrae procurationi in eadem regione providere. Habito itaque Venerabilis Fratris Mariani Soler, hodierni Montis Videi Episcopi consensu, eumque ratum acceptumque habentes, atque cunctis, quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt, maturo studio ac deliberatione perpensis, nec non omnes et singulos, quibus praesentes litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, ab hodiernis Episcopalis Ecclesiae Montis Videi dioecesi et territorio, et a quavis praefati moderni et pro tempore existentis illius Antistitis subiectione,

iurisdictione et superioritate, territoria, seu circumscriptiones civiles *de Salto, Colonia, Soriano, Flores, Rio Negro, Paysandú* et *Artigas*, nec non territorium civile vulgo *de Cerro Largo* appellatum, cuius caput est oppidum *Melo*, et alias circumscriptiones civiles vulgo *de Rivera, Tacuarembó, Durazno, Florida* et *Treinta y Tres* nuncupatas, cum omnibus in eis existentibus oppidis, incolis et consuetis accessoriis, ad hoc ut ex praefatis circumscriptionibus civilibus duae novae et distinctae constituantur, ut infra, Episcopales Sedes, Apostolica auctoritate perpetuo seiungimus et dismembramus, ac eximimus et liberamus. Ecclesiam autem Montis Videi (sublato ei privilegio, quo ad praesens usque fruebatur, immediatae subiectionis erga Sedem Apostolicam), et in ea titulum, denominationem, naturam et essentiam Cathedralitatis, eadem Apostolica auctoritate perpetuo pariter supprimimus et extinguimus; illisque sic suppressis et extinctis, novam ecclesiasticam provinciam constituendo, eamdem Montis Videi Ecclesiam ad Archiepiscopalis et Metropolitanae Ecclesiae gradum et fastigium simili auctoritate pariter perpetuo extollimus, ipsamque in Archiepiscopalem et Metropolitanam, cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis, praerogativis, et honoribus aliis Metropolitanis Ecclesiis de communi iure competentibus, erigimus et constituimus; et in hac Ecclesia Sedem, Cathedram et dignitatem Archiepiscopales, perpetuo ponimus et fundamus pro uno deinceps Antistite, Archiepiscopo Montis Videi nuncupando, qui eidem Metropolitanae Ecclesiae, illiusque Capitulo, clero et populo

praesit, nomen, titulum et praeeminentiam Archiepiscopi Metropolitani prae se ferat, ac iura in eius, ut infra, designandos suffraganeos exercere possit, et usum habeat Crucis, nec non sacri Pallii, aliorum Archiepiscoporum more, postquam tamen hoc ab Apostolica Sede in Consistorio Pontificio postulatum fuerit et impetratum, nec non honoribus, facultatibus, privilegiis, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, ceterisque, quibus alii Archiepiscopi Metropolitani in America Meridionali de iure, usu et consuetudine potiuntur et gaudent, pariter potiri et gaudere possit et valeat. Dictae autem Montis Videi Ecclesiae in Metropolitanam, ut praefertur, erectae, pro sua propria et peculiari dioecesi territoria civilia, quae vulgo *Monte Video, Canelones, San José, Minas, Maldonado* et *Rocha* appellantur, statuimus et assignamus, ita ut ipsa civilem circumscriptionem praefatam integre complectatur. Memoratae insuper Cathedralis Ecclesiae Montis Videi Capitulum, illico, veluti ex nova erectione, ad Metropolitani Capituli gradum, titulum et honorem simili pari Apostolica auctoritate evehimus, ita ut ipsum proinde omnibus praeeminentiis, honoribus, iuribus, favoribus, gratiis, privilegiis, ceterisque omnibus, quibus alia in illis partibus huius generis Capitula ordinarie fruuntur et gaudent, pariter gaudeat et fruatur: dicti vero Mariani Antistitis vota etiam in hoc benigne excipere volentes, duobus Canonicatibus de officio in eadem Metropolitana Ecclesia actu existentibus, videlicet Poenitentiario et Doctorali, alios duos Canonicatus pariter de officio, nempe Magistralem et Theo-

logalem, adiungimus. Iamvero ex praefatis veteris Episcopalis Ecclesiae Montis Videi dismembratione et seiunctione, ut praefertur, peractis, duas novas Episcopales Ecclesias in eadem republica *de Uruguay,* alteram videlicet *de Salto,* et alteram *de Melo,* respective nuncupandas, auctoritate praedicta pariter perpetuo erigimus et instituimus; oppida *de Salto* et *de Melo* iuxta canonicas sanctiones civitatis Episcopalis titulo et honore respective decorantes: ac propterea Ecclesiae *de Salto* memoratas circumscriptiones civiles *de Salto, Colonia, Soriano, Flores, Rio Negro, Paysandú* et *Artigas,* Ecclesiae autem *de Melo,* praeter territorium civile *de Cerro Largo* appellatum, cuius caput, ut praefertur, est civitas *Melo,* alias civiles circumscriptiones *de Rivera, Tacuarembó, Durazno, Florida,* et *Treinta y tres* nuncupatas pro suis respective dioecesibus addicimus et assignamus. Porro Ecclesiam in civitate *de Salto* in praesentiarum inchoatam et sancti Ioannis Baptistae honori dedicandam, et Ecclesiam Archangelo Raphaeli sacram in civitate *Melo* sitam, ad Cathedralitatis statum, gradum et dignitatem, praedicta Apostolica auctoritate, perpetuo item respective extollimus atque evehimus. Hinc in dictis Ecclesiis et civitatibus Sedem, Cathedram ac dignitatem episcopales perpetuo constituimus pro duobus Episcopis ab Apostolica Sede nominandis, altero videlicet *de Salto* et altero *de Melo* respective nuncupandis, qui praefatis Ecclesiis, civitatibus et dioecesibus respective praesint, Synodum convocent, sacram pastoralem visitationem peragant, omnia et singula munia, iura et officia Episcopalia

habeant et exerceant, cum suis Capitulo, sigillo, arca, mensa Episcopali atque cum omnibus et singulis Cathedralibus et Episcopalibus insigniis, iuribus, privilegiis, praeeminentiis, honoribus, favoribus, gratiis et indultis personalibus, realibus et mixtis, quibus aliae in America Meridionali civitates Episcopales, eorumque praesules de communi iure, non autem titulo oneroso, aut ex indulto, vel peculiari privilegio gaudent, vel gaudere poterunt in futurum. Interim vero, donec praefatae Ecclesiae sancti Ioannis Baptistae in civitate *de Salto* dedicandae molitio ad exitum deducta fuerit, praefatus Montis Videi Antistes designabit Ecclesiam quae loco Cathedralis habeatur. Ut vero in dictis Ecclesiis per Nos in Cathedrales, ut praefertur, erectis nihil desit decori, et divinus cultus eo quo par est splendore exerceatur, iam nunc Capitula Cathedralia iuxta canonicas sanctiones in earum utraque perpetuo erigimus et instituimus, quae iisdem numero praebendis et dignitatibus constent, iisdemque gaudeant iuribus, praerogativis et privilegiis, quibus Capitulum Cathedralis Ecclesiae Montis Videi, antequam ea Sedes ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et honorem eveheretur, constabat, ac respective legitime gaudebat et fruebatur. Quibus quidem Capitulis, ut primum fuerint constituta, pari Apostolica auctoritate facultatem facimus et impertimur ut ipsa statuta, ordinationes et decreta pro suo regimine et pro suorum respective munerum norma et observantia, iuxta sacrorum canonum et praecipue sacrosancti Concilii Tridentini praescriptiones, sibi conficere valeant, quae

tamen ab unoquoque respective ordinario Antistite sancienda sint atque approbanda. Interim vero unusquisque Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus ecclesiasticis viris assumat, quorum adiumento in maioribus expediendis suarum respective dioecesum negotiis utantur. Quum autem Nobis summopere curae esse debeat, ut adolescentes in sortem Domini vocati pietate et litteris imbuantur et ad sacras disciplinas erudiantur, volumus ut praedictis Episcopalibus Ecclesiis *de Salto* et *de Melo* modo communi sit usui cum praefata Metropolitana Ecclesia Montis Videi Conciliare illius Metropolitanae dioecesis Seminarium; ad quem finem a civili Montis Videi gubernio decem et octo millia pesos monetae illarum partium sunt assignata; ex quibus octo millia Archidioecesi Montis Videi persolvenda, et quinque millia unicuique ex memoratis noviter erectis dioecesibus *de Salto* et *de Melo* erunt attribuenda: confidentes ceterum quod, ubi res postulet, praedictum gubernium, initis cum ecclesiastica auctoritate consiliis, opportuna subsidia praebebit, ut in unaquaque praefata dioecesi Seminaria canonice et rite erigantur. Quod vero pertinet ad annua pecuniae subsidia pro dictarum, ut supra, noviter erectarum Episcopalium Ecclesiarum *de Salto* et *de Melo* mensa et dote quomodolibet necessaria, ad hoc ut illarum respective Antistites pro tempore existentes suam decenter tueri dignitatem et onera Episcopalia perferre valeant, congruum reditum, quod ex publico aerario idem gubernium pro utraque respective Ecclesia statuit suppeditandum, unicuique perpetuo addi-

cimus et attribuimus. Dictas autem sic erectas Ecclesias *de Salto* et *de Melo* in suffraganeas effatae Metropolitanae Ecclesiae Montis Videi subiicimus et submittimus; volentes tamen ut interim ordinaria illarum administratio, usquedum novi ipsarum Episcopi, per Apostolicam Sedem quamprimum nominandi, suae respective Sedis canonicam possessionem ceperint, penes Antistitem Metropolitanum Montis Videi existat cum omnibus et singulis facultatibus tam ordinariis, quam extraordinariis, quas ipse ab Apostolica Sede habet ad regimen Archidioecesis suae. Porro omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia loca, ut superius, dismembrata, quaeque novis dioecesibus *de Salto* et *de Melo* sunt addicta, et in Cancellaria Metropolitanae Ecclesiae Montis Videi actu reperiuntur, ab hac extrahi, et Cancellariis dictarum novarum *de Salto* et *de Melo* Ecclesiarum respective tradi iubemus, ut in iis perpetuo asserventur. Volumus etiam quod ea omnia quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, de quibus expressa mentio in praesentibus litteris facta non est, firma et rata remaneant iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam; quod si qua difficultas aut controversia quoad praemissa in iisdem noviter, ut praefertur, erectis dioecesibus oriatur, ea ad Apostolicam Sedem sit deferenda, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure, decernet. Praeterea Nobis et Apostolicae Sedi reservamus facultatem novam tum *Montis Videi,* tum *de Salto* et *de Melo* dioecesum dismembrationem aut circumscriptionem libere faciendi, quandocumque id expedire in Domino visum

fuerit, quin ullum in id vel Antistitum, vel Capitulorum assensum exquiri, aut territorialem compensationem constitui et attribui opus sit. Praescribimus tandem quod taxa dictae Ecclesiae Montis Videi, in Metropolitanam, ut praefertur, erectae, in aureis florenis sexaginta sex cum tertia alterius floreni parte, dictarum vero *de Salto* et *de Melo* novarum Cathedralium Ecclesiarum, in aureis similibus florenis triginta tribus cum tertia eiusdem floreni parte sit, eaque in libris Camerae Apostolicae, et sacri Collegii Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sic debeat inscribi. Cupientes vero praedicti Reipublicae de Uruguay Praesidis officiis et votis, quantum in Nobis est, obsecundare, dicto Mariano Soler Episcopo Montis Videi, ob praeclara eius merita et erga Apostolicam hanc Sedem obsequia, Archiepiscopi titulum, ita ut posthac Archiepiscopus Montis Videi ipse sit nuncupandus, conferimus, tribuimus et concedimus. Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore ex quocumque capite vel defectu, aut quavis ex causa quantumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quopiam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint,

aut ex quocumque alio capite, colore, vel praetextu, aliave ratione, vel causa etiam tali, quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario forent exprimenda, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras, aut Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas editas vel edendas minime comprehendi vel confundi, seu comprehensas, aut confusas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, vice Legatos dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate

et facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca ut haec omnia a Nobis superius constituta suum plenum sortiantur effectum, memorato Venerabili Fratri Mariano Soler per ipsas praesentes committimus atque mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, omnes et singulas ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, quibus ipse ad opus hoc explendum alteram probam idoneamque personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam, valeat subdelegare, ita ut ipse Marianus Antistes, vel eius subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, adprobatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem

per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Marianus Antistes infra sex menses authenticum exemplar decretorum omnium aliorumque, quae super hoc negotio illata fuerint atque peracta, ad Sedem Apostolicam transmittere teneatur. Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, seiunctionis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, suppressionis, extinctionis, elationis, erectionis, constitutionis, fundationis, statuti, assignationis, evectionis, adiunctionis, institutionis, addictionis, impertitionis, attributionis, subiectionis, statuti, reservationis, praescripti, collationis, tributi, concessionis, decreti, derogationis et voluntatis

infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, decimo octavo calendas Maii, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

# LITTERAE APOSTOLICAE

DE PRIVILEGIIS AMERICAE LATINAE

—

## LEO PP. XIII

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae providentiae benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum, perpetuo caritatis tenore ita Ecclesia insistere perrexit, pergit, ut temporibus Nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspicato protulerit. Campus enim spatio interminatus, cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioresque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant, templa excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionum et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Ame-

ricae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda decessor Noster sanctae memoriae Pius IX, datis ad id similibus litteris die I Octobris anni MDCCCLXVII, plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum dioecesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui, post maturam deliberationem, novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summariis et recensionibus in conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur, re mature perpensa, pro ea, quam gerimus

de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne clerus et populus illarum regionum anteactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus, et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit, et universae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint, iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus, magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum, perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos summus Pontifex Paullus III uti concessit, quaeque in appendice ad rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo* diei I Iunii MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares

quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi *Quod expensis* diei XXVI Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem sollemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo, servato ieiunio, si loco inhabitent ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis D. N. I. C.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosynae, uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appel-

letur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem, etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1.° Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2.° Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3.° Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam sacri Concilii Tridentini; 4.° Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cuius initium *Dei miseratione,* praestituta sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis. — Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die solemni Paschae XVIII Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE XIX APRILIS ANNO MDCCCXCVII

—

## VENERABILES FRATRES

Laetabilia hodierno die et ad cognitionem salubria in hunc amplissimum consessum vestrum attulimus. Nimirum in hoc vitae tam periculoso cursu tamque aspero, in conspectu malorum, quae mortalis brevitatem aevi comitantur, periucunda est ac plena solatii magnarum recordatio virtutum, quae in excellentibus hominibus, quasi lumen aliquod clarissimum, divino munere beneficioque eluxerint. Inde autem cogitatione praemiorum, quae vitam sancte actam consequuntur, spe quidem ad altiora multoque magnificentiora provolat animus, ita ut pigeat harum rerum humanarum, quae non tam bona sunt, quam inanis umbra et imago fallax bonorum. Atqui de virtutibus mox audiemus: instauranda quippe duorum virorum commemoratio est, quos gratia Dei et sua ipsorum virtus caelestium civium numero consecravit. Intellexistis quorsum spectet oratio. Videlicet Antonius Maria Zaccaria, conditor Clericorum regularium a sancto Paulo, et Petrus Fourier

Praepositus idemque restitutor Congregationis Salvatoris nostri nuncupatae Ordinis Canonicorum regularium sancti Augustini, eam iam habent, ut scitis, merito suo venerationem, qua singulos e beatis caelitibus colere Ecclesia solet. Nihilominus placuit haud ita pridem quaerere, expediretne atque aequum foret, utriusque nomini incrementa honorum more catholico decernere. Nam primum quidem, quemadmodum apud illam in caelo triumphantem Ecclesiam, miro ordine varietateque distinctam, ampliorem gloriae gradum reservat Deus maiora merentibus, ita pariter haec in terris militans Ecclesia, virtutum christianarum incorrupta iudex, profecto si quas compererit praeclaras et in exemplum eximias, honoribus quam potest maximis afficiat necesse est. Deinde vero, si res e sententia cessisset, sponte consecuturum videbamus, ut populus christianus celsiore in fastigio positos et augustius coleret et fidentius imploraret. Incitandae autem pietatis publicae, divinique praesidii per caelestes deprecatores ac patronos exorandi videtis quanta sit, in tanta praesertim temporum calamitate, necessitas. Harum cogitatione rerum permoti caussam canonizationis beatorum, quos memoravimus, Antonii Mariae Zaccaria et Petri Fourier cognosci ac rite tractari iussimus. Igitur, quod nunc fieri oportet, de eorum vita, moribus, rebus gestis, prodigiis ad Nos, ut assolet, hoc ipso in loco referri, vobis audientibus, volumus.

*Cardinalis Praefectus S. Rit. Cong. verba facit de beato Antonio Mariae Zaccaria.*

*Tum Sanctitas Sua:*

Quae vita, qui mores fuerint beati Antonii Mariae Zaccaria, quo se studio totum Iesu Christo dederit, quam perfecta pietatis caritatisque documenta reliquerit, licet, Venerabiles Fratres, ex iis, quae nunc exposita sunt, cumulatius perspexisse. Prodigia vero, quae de eodem praedicabantur, acri diligentissimoque iudicio probata sunt. Placetne igitur vobis ut ad canonizationem eius solemni Ecclesiae ritu deveniamus?

*Sequitur* PLACET *S. R. E. Cardinalium.*

—

*Cardinalis Praefectus S. Rit. Cong. verba facit de beato Petro Fourier.*

*Tum Sanctitas Sua:*

Quae audistis, luculenter testantur, singularem fuisse in beato Petro Fourier integritatem morum, incensum divina caritate animum, studium alienae salutis admirabile, ceterasque laudes quae perfectam absolutamque virtutem in homine christiano efficiunt. Accessisse constat patrata prodigia. Placetne vobis ut ad eius canonizationem solemni Ecclesiae ritu deveniamus?

*Sequitur* PLACET *S. R. E. Cardinalium.*

—

*Tum Sanctitas Sua:*

Vestras, Venerabiles Fratres, de proposito negotio sententias perplacet cognovisse.

Atque his peractis, honorem splendidissimi ordinis vestri impertire decrevimus quatuor virtute ac doctrina spectatis viris, episcopalis dignitatis munera integre studioseque diu gerentibus. Qui sunt:

IOSEPHVS MARIA MARTIN DE HERRERA, Archiepiscopus Compostellanus:

PETRVS COULLIÉ, Archiepiscopus Lugdunensis:

IOSEPHVS GVLIELMVS LABOURÉ, Archiepiscopus Rhedonensis:

GVLIELMVS MARIA SOURRIEU, Archiepiscopus Rothomagensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Iosephvm Mariam Martin de Herrera
Petrvm Coullié
Iosephvm Gvlielmvm Labouré
Gvlielmvm Mariam Sourrieu

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Nunc, quod restat, episcoporum collegium supplebimus.

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
GEORGIO PATRIARCHAE BABYLONENSI
CHALDAEORVM
MAVSSVLAM ASSYRIORVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vota et gratulationes, quae ob impletum feliciter undevicesimum annum Pontificatus Nostri, Antistitum etiam nomine universaeque gentis chaldaici ritus, prompsisti, gratissima accidere Nobis. Quum enim, quod saepe factis testati sumus, orientales populos adamemus; quidquid inde officii defertur, quidquid pietatis et observantiae in Apostolicam Sedem, cumprimis diligimus libentique animo accipimus. Gratias igitur vobis pro merito agimus, et ut exoptata fruamini tranquillitate penitus desideramus, instanterque a Domino adprecamur. Quo vero in dies caelestium munerum ubertate augeamini, tibi, Venerabilis Frater, Archiepiscopis et Episcopis, fidelibusque universis

chaldaici ritus Apostolicam benedictionem, praecipuae Nostrae dilectionis testem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
VINCENTIO MARIAE ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANORVM
ADMINISTRATORI APOSTOLICO STABIENSI

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Virtuti meritisque tuis detulimus quum Neapolitanae Ecclesiae, quae est praecipuas inter Nobisque cumprimis cordi, te moderandae praefecimus. Nec sumus gavisi exigue quod propositum Nostrum tuamque designationem effusis laetitiis Neapolitana civitas accepit. Multum sane quod gratuleris in grege novo reperies, quem sollertiae curaeque tuae commendavimus; pietatem in primis ac religionis studium observantiamque in Apostolicam Sedem. Quam tu diligentiam in episcopali munere gerendo diu et praeclare probasti, hanc porro probaturum confidimus in re catholica, acriore addito stimulo, provehenda. Illud praesertim vero auctores hortatoresque sumus, ut industriis praecipuis foveas, quod in plerisque Italiae regionibus floret, Institutum ad catholicos congressus promo-

vendos, quique ex eo sunt Comitatus seu Dioecesani seu Curionales. Experiendo novimus quam utilem Comitatus eiusmodi catholicae rei navent operam. Interea, dilectionis Nostrae testem, et munerum divinorum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO
NICOLAO MARINI PROTONOTARIO APOSTOLICO
AD INSTAR PARTICIPANTIVM
ROMAM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam praecipua caritate Orientalium Ecclesias orientalesque gentes universas prosequamur, satis superque est cognitum ex iis, quae in earumdem gentium utilitatem egimus. Quamobrem pergratum Nobis acceptumque evenit quidquid vel ad decora illustranda dictarum Ecclesiarum conferat, vel ad ipsarum coniunctionem cum Romana firmandam et amplificandam. Quum vero in hac laude non excellat exigue periodicus libellus, qui *Bessarioni* inscribitur, quique tua aliorumque eruditorum virorum curis editur, placet profecto quam Nobis et Ecclesiae sapienter atque assidue navatis operam promerita honestare commendatione. Ut autem diligentiam probare vestram pergatis, optatique inde fructus unitatis fidei et animorum

reconciliationis percipiantur, Apostolicam benedictionem, benevolentiae Nostrae testem et munerum divinorum auspicem, tibi ceterisque, qui edendo *Bessarioni* elaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

E. VACANDARD SACERDOTI

RHOTOMAGVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Placet Nobis homines sacri cleri eniti strenue ad optima quaeque studia consilio exemploque promovenda. Quibus in studiis, praeter philosophica et sacra, Nos etiam auctores fuimus ut ea non in postremis haberentur, quae ad rem historicam pertinent. Optatis hisce Nostris tu quidem, dilecte fili, pro tua parte obsecundasti, quum de factis sanctissimi Doctoris Bernardi deque ipsius aetate gestis, diuturnis curis, scripsisti. Quod sane opus quum a pluribus Episcopis eruditisque viris laudibus sit exornatum, Nos etiam de diligentia et eruditione tua gratulamur. Nostrae autem dilectionis testem et munerum divinorum auspicem, Apostolicam tibi benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ALPHONSO S. R. E. TIT. S. MARIAE DE POPVLO
PRESBYTERO CARDINALI CAPECELATRO
ARCHIEPISCOPO CAPVANO
CAPVAM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tuas litteras accepimus, quibus Nos commonefactos voluisti, te propediem quinquagesimum sacerdotii tui natalem, clero populoque communicante laetitiam, celebraturum. Hoc quidem nuncium pergratum evenisse Nobis inde tibi colligere pronum est, quod caritatem, qua te praecipue prosequimur, semper impenseque testati sumus. Itaque gratulamur tibi et de vitae usura et de sacro munere diu feliciter gesto. Ut autem faustissimi diei celebritatem augeamus, libenter concedimus ut sacra sollemniter facturus papalem benedictionem, cum indulgentiis consueto more lucrandis, populo impertias. Te vero ut Deus fortunet, sospitemque dudum tuo gregi optimisque

studiis servet, tibi etiam Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem, amantissime in Domino elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VICARIATVS APOSTOLICVS ARIZONAE
IN DIOECESIM TVCSONIENSEM
ERIGITVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris licet immeriti fungimur. Hoc consilio iam inde ab anno MDCCCLXVIII in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et in Provincia ecclesiastica Sanctae Fidei ab hac Sancta Sede Vicariatus Apostolicus Arizonae erectus fuit, comprehendens territorium Arizonae duosque Comitatus, nempe, *Doña Aña* in Novo Mexico, et *el Paso* in Texas, qui ultimus Comitatus anno MDCCCLXXXXII a Vicariatu seiunctus fuit, et dioecesi Dallensi unitus. Cum vero Venerabiles Fratres Archiepiscopus Sanctae Fidei et Antistites comprovinciales modo enixe postulaverint, ut, attento eodem in Vicariatu religionis incremento, in spem maioris

futuri spiritualis boni idem Vicariatus in dioecesim erigatur; Nos, omnibus rei momentis sedulo ac sollicito studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, precibus huiusmodi annuendum existimavimus. Quae quum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, Vicariatum Apostolicum Arizonae in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis erigimus in dioecesim cum iisdem limitibus, nempe, territorii Arizonae et Comitatus *Doña Aña,* qui in extrema australi parte territorii Novi Mexici situs est, et cum Episcopali residentia in civitate *Tucson.* Volumus exinde, ut nova haec dioecesis dicta a civitate Tucsoniensis nomen habeat, et illius mensae Episcopali assignamus fructus ex fundo, qui totam proprietatem Vicariatus constituit, quibus fructibus tamquam eiusdem mensae complementum accedere praecipimus Cathedraticum pro discreto arbitrio Episcopi imponendum. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque

Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VIII Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

## LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Divinum illud munus quod humani generis causâ a Patre acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatae, ita huc proxime attinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam floreat caelestem. Quamobrem omnes ad unum homines cuiusvis nationis et linguae Redemptor ipse invitare ad sinum Ecclesiae suae summa benignitate non cessat: *Venite ad me omnes; Ego sum vita; Ego sum pastor bonus.* Hic tamen, secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum. Atque iucunda memoratu

ea sunt quae Christus, paulo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* [1]. Haec enim affirmans, causam discessus sui reditusque ad Patrem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis profecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti: quem quidem una monstravit, a se aeque mitti atque adeo procedere sicut a Patre, eumdemque fore qui opus a semetipso in mortali vita exactum, deprecator, consolator, praeceptor, absolveret. Multiplici nempe virtuti huiusce Spiritus, qui in procreatione mundi *ornavit caelos* [2] et *replevit orbem terrarum* [3], in eiusdem redemptione perfectio operis erat providentissime reservata. — Iamvero Christi Servatoris, qui princeps pastorum est et episcopus animarum nostrarum, exempla Nos imitari, ipso opitulante, continenter studuimus; religiose insistentes idem ipsius munus, Apostolis creditum in primisque Petro, *cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit* [4]. Hoc adducti consilio, quaecumque in perfunctione iam diuturna summi pontificatus aggressi sumus instandoque persequimur, ea conspirare voluimus ad duo praecipue. Primum, ad rationem vitae christianae in societate civili et domestica, in principibus et in populis instaurandam; pro-

[1] Ioann. XVI, 7.

[2] Iob XXVI, 13.

[3] Sap. I, 7.

[4] S. Leo M. *serm. II. in anniv. ass. suae.*

pterea quod nequaquam, nisi a Christo, vera in omnes profluat vita. Tum ad eorum fovendam reconciliationem qui ab Ecclesia catholica vel fide vel obsequio dissident; quum haec eiusdem Christi certissima sit voluntas, ut ii omnes in unico Ovili suo sub Pastore uno censeantur. Nunc autem, quum humani exitus adventantem diem conspicimus, omnino permovemur animo ut Apostolatus Nostri operam, qualemcumque adhuc deduximus, Spiritui Sancto, qui Amor vivificans est, ad maturitatem fecunditatemque commendemus. Propositum Nostrum quo melius uberiusque eveniat, deliberatum habemus alloqui vos per sollemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat efficiatque praeclarâ copia charismatum supernorum. Inde fiat, quod vehementer optamus, ut fides excitetur vigeatque in animis de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim pietas augeatur et caleat erga divinum Spiritum, cui plurimum omnes acceptum referre debent quotquot vias veritatis et iustitiae sectantur: nam, quemadmodum Basilius praedicavit, *Dispensationes circa hominem, quae factae sunt a magno Deo et Servatore nostro Iesu Christo iuxta bonitatem Dei, quis neget per Spiritus gratiam esse adimpletas* [1]?

Antequam rem aggredimur institutam, nonnulla de Triadis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit at-

[1] *De Spiritu Sancto* c. XVI, n. 39.

tingere. Hoc namque *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causâ, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in testamento veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* [1]. Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus: *Quum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum, quia, ut Augustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur* [2]. Periculum autem ex eo fit, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur; nam, *fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.* Quare Innocentius XII, decessor Noster, sollemnia quaedam honori Patris propria postulantibus omnino negavit. Quod si singula Incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus per se simpliciter honoraretur, sed ut eiusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis

[1] Ioann. I, 18.

[2] *Summ. th.* 1ª, q. XXXI, a. 2. - *De Trin. l. I, c. 3.*

forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur. Quin etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum; tum altaria et templa eidem dicari permisit; atque Ordinem religiosorum captivis redimendis, qui Trinitati devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Christo tribuitur, is demum in Trinitatem ipsam redundat et desinit. In precationibus quae uni Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subiicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praeconium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula* [1]: inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae quum una eademque singulis sit Personis, ideo singulis, tamquam uni eidemque Deo, aeterna aeque maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus, *Non confuse,* inquit, *accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et per ipsum et in ipso; ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum*

[1] Rom. XI, 36.

*propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum* [1]. — Aptissimeque Ecclesia, ea Divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia* [2], quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur* [3]: verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur: *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis; et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriatio dicitur* [4]. Hoc modo Pater qui est *principium totius Deitatis* [5], idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum, *ex ipso sunt omnia;* ex ipso, propter Patrem. Filius autem, *Verbum, Imago Dei,* idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur; qui extitit nobis via, ve-

[1] *De Trin.* l. VI, c. 10. - l. I, c. 6.
[2] S. Aug. *de Trin.* l. I, c. 4 et 5.
[3] S. Aug. *ib.*
[4] S. Th. 1ª, q. XXXIX, a. 7.
[5] S. Aug. *de Trin.* l. IV, c. 20.

ritas, vita, hominis cum Deo reconciliator, *per ipsum sunt omnia;* per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit, *in ipso sunt omnia;* in ipso, propter Spiritum Sanctum.

Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magis magisque in christiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti exponendam oratio Nostra convertitur. — Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto,* et: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* [1]. Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas; quum hoc *magnum pietatis Sacramentum* [2] sit a summa Dei erga

[1] Matth. I, 18, 20.

[2] I Tim. III, 16.

homines caritate profectum, prout Ioannes commonet: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [1]. Accedit quod natura humana evecta inde sit ad coniunctionem *personalem* cum Verbo: quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, proptereaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus: *Iste modus*, inquit, *quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui Filius hominis, et Filius hominis qui Filius Dei* [2]. Divini autem Spiritus operâ non solum conceptio Christi effecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, quae *unctio* in sacris libris nominatur [3]: atque adeo omnis eius actio *praesente Spiritu peragebatur* [4], praecipueque sacrificium sui: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* [5]. — Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affluxerint. Namque in ipso copia insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit; in ipso omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae

[1] III, 16.

[2] *Enchir.* c. XXXX. - S. Th. 3ª, q. XXXII, a. 1.

[3] Actor. X, 38.

[4] S. Basil. *de Sp. S.* c. XVI.

[5] Hebr. IX, 14.

gratis datae, virtutes, donaque omnino omnia quae tum Isaiae oraculis nunciata [1], tum significata sunt admirabili ea columba ad Iordanem, quum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecravit. Quo loco illa eiusdem Augustini recte conveniunt: *Absurdissimum est dicere quod Christus, quum iam triginta esset annorum, accepit Spiritum Sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Tunc ergo,* scilicet in baptismate, *corpus suum, idest Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum* [2]. Itaque Spiritus Sancti et praesentiâ conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimirum quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur.

Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsâque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea mira effusione quam Ioel propheta iampridem viderat [3]: nam Paraclitus *sedit super Apostolos ut novae coronae spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum* [4].

[1] IV, 1; XI, 2, 3.

[2] *De Trin.* l. XV, c. 26.

[3] II, 28, 29.

[4] Cyr. hierosol. *catech.* 17.

Tum vero Apostoli *de monte descenderunt,* ut Chrysostomus scribit, *non tabulas lapideas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quemdam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes* [1]. — Ita plane eveniebat illud extremum Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo, qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quodammodo obsignaturus depositum: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* [2]. Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque unâ cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem: quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, utque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera praestare ad populorum salutem. Et quoniam populorum salus, ad quam nata est Ecclesia, plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam conservat augetque: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* [3]. Ab ipso

[1] *In Matth. hom.* I. - II Cor. III, 3.

[2] Ioann. XVI, 12, 13.

[3] *Ib.* XIV, 16, 17.

namque episcopi constituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* [1]. Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant, secundum illud Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* [2]. Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima: *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia* [3]. — Quae ita quum sint, nequaquam comminisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque *divini Spiritus manifestationem et ostensionem:* quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.

Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est, quam-

[1] Act. xx, 28.

[2] Ioann. xx, 22, 23.

[3] S. Aug. *serm.* CLXXXVII *de temp.*

quam intellectu paulo est difficilius, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum. — Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo amni similem dixerit, prout est apud Ioannem: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae:* cui testimonio idem Evangelista explanationem subiicit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* [1]. Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus; quippe in Pentecoste non ita se Spiritus Sanctus tribuit, *ut tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet, sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate* [2]. Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius *nihil differt a servo,* quousque est *sub tutoribus et actoribus* [3]: ac, praeter quam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri, communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus*

[1] VII, 38, 39.

[2] S. Leo M. *hom.* III *de Pentec.*

[3] Gal. IV, 1, 2.

*nondum erat glorificatus* [1]. Statim igitur ut Christus, *ascendens in altum*, regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, *dedit dona hominibus* [2]: Nam, *certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat* [3]. Siquidem natura humana necessario serva est Dei: *Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam* [4]: quin etiam ob communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo extiterimus: *Eramus natura filii irae* [5]. Tali nos a ruina exitioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vindicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenam suum: cuius beneficio factum, ut homo in gradum nobilitatemque, unde exciderat, cum donorum locupletiore ornatu sit restitutus. Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur. — Iamvero tam am-

[1] VII, 39.

[2] Eph. IV, 8.

[3] S. Aug. *de Trin.* l. IV, c. 20.

[4] S. Cyr. alex. *Thesaur.* l. V, c. 5.

[5] Eph. II, 3.

pla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est *Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater;* idemque paterni amoris suavitate corda perfundit: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* [1]. Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam; quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis,* et *alii sanctificantur ut sint filii Dei adoptivi* [2]. Ita, multo quidem nobilius quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, ab Amore scilicet increato.

Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est* [3]. Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et robur christianae vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* [4]. Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorumdem est

[1] Rom. VIII, 15, 16.

[2] S. Th. 3ª, q. XXXII, a. 1.

[3] Ioann. III, 7.

[4] Rom. V, 5.

auctor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei.* — Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt, Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, *per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi* [1]. At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [2], attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus

[1] S. Th. 1ª, q. VIII, a. 3.

[2] Ioann. XIV, 23.

veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eumdem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quapropter Apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo* [1]? — Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina, *Quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi* [2]. In his autem muneribus sunt arcanae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sibilo; easque Doctor Angelicus scite confert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabdita: *Cor habet quamdam influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam*

[1] I Cor. VI, 19.

[2] *Summ. th.* 1ª, q. XXXVIII, a. 2. – S. Aug. *de Trin.* l. XV, c. 19.

*vivificat et unit* [1]. — Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae ut in caelesti regno eadem, quamquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati [2], quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni refertos dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent a Spiritu, *qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas* [3]. — Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentiâ et gra-

[1] *Summ. th.* 3ª, q. VIII, a. 1, *ad 3.*

[2] Gal. v, 22.

[3] S. Aug. *de Trin.* l. VI, c. 9.

tia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes.

Haec omnia quum tanta sint, quumque Spiritus Sancti bonitatem in nos immensam luculenter declarent, omnino postulant a nobis, ut obsequii pietatisque studium in eum quam maxime intendamus. Id autem christiani homines recte optimeque efficient, si eumdem certaverint maiore quotidie cura et noscere et amare et exorare: cuius rei gratiâ sit haec ad ipsos, prout sponte fluit paterno ex animo, cohortatio. — Fortasse ne hodie quidem in eis desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperintne Spiritum Sanctum, respondeant similiter: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus* [1]. Sin minus, multi certe in eius cognitione valde deficiunt; cuius quidem crebro usurpant nomen in religiosis actibus exercendis, sed ea fide quae crassis tenebris circumfusa est. Quapropter quotquot sunt sacri concionatores curatoresque animarum hoc meminerint esse suum, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent diligentius atque uberius populo tradant; sic tamen ut difficiles subtilesque absint controversiae, et prava eorum stultitia devitetur qui omnia etiam arcana divina temere conantur perscrutari. Illud potius commemorandum enucleateque explanandum est,

[1] Act. XIX, 2.

quam multa et magna beneficia ab hoc largitore divino et manaverint ad nos et manare non desinant; ut vel error vel ignoratio tantarum rerum, *lucis filiis* indigna, prorsus depellatur. Hoc autem propterea urgemus, non modo quia id attingit mysterium quo ad vitam aeternam proxime dirigimur, ob eamque rem firme credendum; verum etiam quia bonum quo clarius pleniusque habetur cognitum, eo impensius diligitur et amatur. — Nempe Spiritui Sancto, quod alterum praestandum esse monuimus, debetur amor, quia Deus est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* [1]. Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius: multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis, quae ut largientis benevolentiam testantur, ita gratum animum accipientis reposcunt. Qui amor duplicem habet utilitatem neque eam exiguam. Nam tum ad illustriorem in dies notitiam de Spiritu Sancto capiendam nos exacuet; *Amans* enim, ut Angelicus ait, *non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amatum pertinent intrinsecus disquirere, et sic ad interiora eius ingreditur, sicut de Spiritu Sancto, qui est amor Dei, dicitur quod scrutatur etiam profunda Dei* [2]: tum caelestium donorum copiam nobis conciliabit largiorem, eo quod donantis manum ut angustus

[1] Deut. VI, 5.

[2] I Cor. II, 10 - *Summ. th.* 1ª 2ªe, q. XXVIII, a. 2.

animus contrahit, ita gratus et memor dilatat. Curandum tamen magnopere ut iste amor eiusmodi sit qui non in cogitatione arida externoque obsequio subsistat, sed ad agendum prosiliat, refugiat maxime a culpa; quum haec Spiritui Sancto, peculiari quodam nomine, accidat iniuriosior. Quanticumque enim sumus, tanti sumus ex bonitate divina; quae eidem Spiritui praesertim adscribitur: hunc benigne sibi facientem is offendit qui peccat, quique ipsis eius abusus muneribus et bonitati confisus, quotidie magis insolescit. — Ad haec, quum veritatis ille sit Spiritus, si quis ex infirmitate aut inscitia deliquerit, forsitan excusationis aliquid apud Deum habeat; at qui per malitiam veritati repugnet ab eaque se avertat, in Spiritum Sanctum peccat gravissime. Quod quidem aetate nostra increbruit adeo, ut deterrima ea tempora advenisse videantur a Paulo praenunciata, quibus homines iustissimo Dei iudicio obcaecati, falsa pro veris habituri sint, et *huius mundi principi,* qui mendax est et mendacii pater, tamquam veritatis magistro credituri: *Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio* [1]: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum* [2]. — Quoniam vero Spiritus Sanctus in nobis, ut supra monuimus, quasi suo quodam in templo habitat, suadendum est illud Apostoli: *Nolite contristare Spiritum San-*

[1] II Thess. II, 10.

[2] I Tim. IV, 1.

*ctum Dei, in quo signatis estis* [1]. Idque ipsum non satis est, indigna omnia defugere, sed omni virtutum laude christianus homo nitere debet, ut hospiti tam magno tamque benigno placeat, castimonia in primis et sanctitudine; casta enim et sancta addecent templum. Hinc idem Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* [2]: formidolosae eae quidem, sed perquam iustae minae. — Postremo, Spiritum Sanctum exorari et obsecrari oportet, quippe cuius praesidio adiumentisque nemo unus non egeat maxime. Ut enim quisque est inops consilii, viribus infirmus, aerumnis pressus, pronus in vetitum, ita ad eum confugere debet qui luminis, fortitudinis, consolationis, sanctitatis fons patet perennis. Atque illa homini in primis necessaria, admissorum venia, ab eo potissimum expetenda est: *Spiritus Sancti proprium est quod sit donum Patris et Filii; remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tamquam per donum Dei* [3]: de quo Spiritu apertius habetur in ordine rituali: *Ipse est remissio omnium peccatorum* [4]. — Quanam vero ratione sit exorandus, perapte docet Ecclesia, quae supplex eum compellat et obtestatur suavissimis quibusque nominibus:

[1] Eph. IV, 30.

[2] I Cor. III, 16, 17.

[3] *Summ. th.* 3ª, q. III, a. 8, *ad* 3ᵐ.

[4] *In Miss. rom., fer.* III *post Pent.*

*Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium: consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium:* eumdemque enixe implorat ut eluat, ut sanet, ut irriget mentes atque corda, detque confidentibus et *virtutis meritum* et *salutis exitum* et *perenne gaudium.* Nec dubitare ullo pacto licet an huiusmodi preces auditurus ille sit, quo auctore scriptum legimus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [1]. Demum hoc est fidenter assidueque supplicandum, ut nos quotidie magis et luce sua illustret et caritatis suae quasi facibus incendat; sic enim fide et amore freti acriter enitamur ad praemia sempiterna, quoniam ipse *est pignus hereditatis nostrae* [2].

Habetis, Venerabiles Fratres, quae ad fovendum Spiritus Sancti cultum monendo hortandoque placuit edicere: minimeque dubitamus, quin ope praesertim navitatis sollertiaeque vestrae praeclaros in christiano populo sint fructus latura. Nostra quidem tantae huic rei persequendae nulla unquam defutura est opera, atque etiam consilium est ut, quibus subinde modis videbitur opportunius, idem pietatis studium tam praestabile alamus et provehamus. Interea, quoniam biennio ante, datis litteris *Provida matris,* peculiares preces, easque ad maturandum christianae unitatis bonum, in sollemnibus Pentecostes catholi-

[1] Rom. VIII, 26.

[2] Eph. I, 14,

cis commendavimus, libet de hoc ipso capite ampliora quaedam decernere. Decernimus igitur et mandamus ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecosten, in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicarint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus; tum plenariam in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communione refecti ad eamdem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii prudentiam, in templo res fieri possit; dum tamen supplicationi novendiali privatim detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publice vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, ceterisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti in suffragium posse, misericorditer in Domino concedimus.

Iam Nobis mens animusque ad ea revolat vota quae initio aperuimus; quorum eventum summis precibus a divino Spiritu flagitamus, flagitabimus. Agite, Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus universae christianae gentes coniungant suas, adhibita conciliatrice potenti et peraccepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe nostis; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti in Apostolorum coronam adventum. Communes igitur preces pergat ipsa suffragio suo benignissima roborare, ut in universitate nationum tam misere laborantium divina rerum prodigia per almum Spiritum feliciter instaurentur, quae vaticinatione Davidica sunt celebrata: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae*[1]. — Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

[1] Ps. CIII, 30.

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

BEATO ANTONIO MARIAE ZACCARIA

CLERICORVM REGVLARIVM SANCTI PAVLI

ET VIRGINVM ANGELICARVM FVNDATORI

SANCTORVM HONORES DECERNVNTVR

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Dilectus Domini Nostri Iesu Christi discipulus, cum divino mentis excessu vidit *Hierusalem novam descendentem de caelo, sicut sponsam ornatam viro suo*, audivit *vocem magnam de Throno dicentem: Ego sum* A *et* Ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae, gratis. Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius* [1]. Qui vicerunt bibentes de fonte aquae vivae gratis, sunt sancti, *habentes claritatem Dei et lumen simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum* [2]: *fons aquae*

[1] Apoc. XXI, 2, 6, 7.

[2] Ib. 11.

*vivae* est Christus, qui salvandos salvat gratis, et sanctorum suorum ministerio uti solet, ut praedestinatos, quot sunt, ad *novam Hierusalem* perducat, nempe ad Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi *absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et nova faciet omnia.*

Exultate igitur, filii dilectissimi, et novensilium sanctorum, quos vobis proponit, et quorum patrocinio vos commendat Ecclesia, exempla suspicite, et alacriter imitari nitimini. Exultate, vos Itali praesertim, et Antonium Mariam Zaccaria, civem vestrum intuemini, qui amantissime vos, familias vestras, et Italiam universam e caelo prospicit, ut cuncti sustollamini *in spiritu in montem magnum et altum.*

Antonius Maria Cremonae natus est, nobili genere, anno exeunte MDII, patre Lazaro, matre Antonia Pescaroli, eximiae probitatis femina. Haec, paulo post natum Antonium viro orbata, filioli dilectissimi institutioni totam se dedidit, ut talis ille evaderet, qualem a Deo precatus erat. Nec maternae expectationi defuit Antonius, qui ab ineunte aetate futurae sanctitatis, quae solent esse indicia, cuncta praesetulit, et praesertim rerum terrenarum despectum, christianae pietatis cultum, et singularem in proximos caritatem. Quamobrem ferunt illum non raro, vix adolescentulum, ut pauperibus succurreret, suis se exuisse vestibus, ac cibis sibi paratis abstinuisse. Tanto autem christianae paupertatis amore incensus est, ut vestes sericas, quas eius aetatis nobiliores ostentabant, nunquam induerit, et quae sibi e paterna haereditate obve-

nerant, matri libentissime donaverit, ut in pauperes illa largior esse posset. Ipse autem, ut novissimus e pauperibus, quae sibi necessaria erant, a genitrice demisse exorabat, magnopere cavens, ne quid peteret, aut sibi daretur, quod non solum non redundans, sed omnino non necessarium etiam severioribus videri posset.

Humanioribus litteris domi imbutus, primum Ticinum, deinde Patavium missus est, ut philosophos et medicos audiret; quod postquam maxima cum ingenii ac profectus laude praestitisset, in facultate medica laurea insignitus, Cremonam reversus est, ut medicinam exerceret. Verum satis erat Antonium intueri, ut ad sublimiora vocatum illum cuncti iudicarent, qui iam tum Cremonae tum Patavii sancti nomen adeptus erat. Et revera nihil magis Antonius quam ecclesiasticam militiam optabat: sed, ut erat humillimus, ministerii gravitate atque altitudine terrebatur. Cunctationem abrupit frater ex Ordine Praedicatorum, doctrina et pietate insignis, Marcellus nomine, seque ipsum in theologicis disciplinis magistrum fore pollicitatus est Antonio, qui sacra in studia vehementer incubuit, et tanto profectu, ut magistro ipsi admirationi fuerit. Divinam autem Scripturam in primis coluit, et Pauli Epistolis adeo delectatus est, ut illum tum doctrina, tum vitae exemplis referre sibi proposuerit, et apud Dominum Nostrum Iesum Christum sibi intercessorem magnum exoraverit.

Nec Paulus clienti suo defuit. Nondum enim Antonius saeculares vestes exuerat, cum iam Cremonensibus in

sacri Apostolatus munere tantus apparuit, ut vehementer cuperent illum sacerdotii ordine insigniri; tum ut eius beneficia latius manarent, tum ut sacerdotalem dignitatem, gliscente vitio, fere despectam, iterum suspicerent homines, ac pro merito vererentur. Nec opinionem fefellit eventus; imo ipse eam Deus prodigio confirmare velle visus est. Etenim, cum primum litavit Antonius, mirabile quid accidit, quo Deus ostendere dignatus est, quantum hoc propitiatore gauderet. Nam in sanctissimae Hostiae elevatione, multo ille splendore circumfusus apparuit, et Angelorum cohors illum venerabunda circumcingere visa est, donec sacras species assumpsit. Quo prodigio non tam confirmata est apud homines Antonii existimatio, quam eius humilitas, ac flagrans illud desiderium se pro cunctorum salute Christo omnium Redemptori vovendi.

Quod quanto caritatis ardore sit executus tum in spiritualibus, tum in temporalibus Cremonensium necessitatibus, nihil est opus singillatim persequi. Nam celeberrimi Cremonae historici unanimiter affirmant, domum beati Antonii factam esse *miseriarum perfugium*, quemadmodum pectus eius erat *miserationis diversorium*. Hinc illum Cremonenses *Angelum suum* nuncupare consueverunt, et ita appellabant, quoties Antonium vel ad conciones audiendas, vel ad conscientiam expiandam, vel consilii aut subsidii causa adibant. Quo factum est, ut etiam *Pater patriae* sit appellatus, utpote qui religionis, bonorum morum, publicae et privatae concordiae vindex statorque communi suffragio censeretur et esset.

Tunc ei in mentem venit tanta beneficia, quibus patriam ditaverat, in Italiam, imo in mundum universum propagare; quod cum fieri non posset, nisi alios adsciscere-ret, de religiosa sodalitate cogitare coepit, quae, auspice Ecclesia, in cleri populique reformationem totis viribus niteretur. Rem tantam, praesertim in illa temporum malignitate, exequi ac perficere difficillimum erat: at Paulus ob oculos Antonii versabatur; Paulum, patronum suum, in corde ille gerebat; Pauli nomine Christum Crucifixum precibus ac lacrymis urgebat, ut votis suis propitius adesset. Nec multum moratus est Redemptor hominum amantissimus. Nam cum Mediolanum venisset Antonius et electissimum illum virorum pietate ac scientia illustrium conventum adivisset, qui *a divina sapientia* nuncupabatur, a cunctis ita receptus est, quasi is esset, qui tandem statuere posset, quid facto opus esset, ut gravissimis malis occurreretur, quibus undique Ecclesia et christiana societas premebantur; cumque Antonius ipse de excogitata a se sodalitate verba iecisset, plausere omnes, alacriterque statim se socios Antonio praebuerunt duo nobiles cives Mediolanenses, Bartholomaeus Ferrari et Iacobus Morigia, alter sacerdotio iam auctus, alter dignissimus eo et cupidissimus.

His cum sociis Antonius a s. m. Clemente VII humillimis precibus veniam postulavit novam constituendi religiosam familiam, quacum, spectatum finem, quem diximus, sub tutela sancti Pauli et constanti eius imitatione consequeretur. Preces libentissime excepit Cle-

mens, et litteris in forma Brevis datis die XVIII Februarii anno MDXXXIII, petitam gratiam largitus est. Anno autem MDXXXV Paulus III Clementis successor amplificatam iam Societatem iteratis Apostolicis litteris confirmavit, laudavit, multisque privilegiis auxit. Haec gloriosa illius Societatis initia sunt, quam sanctus Carolus Borromaeus et sanctus Franciscus Salesius admirati sunt, et de ea gratulati; quaeque prius in Insubriam et apud Allobrogos, deinde in Italiam aliasque nationes propagata, de Ecclesia optime merita est, et meretur, civilique etiam societati maxime prodest christiana ac litteraria iuventutis institutione; multos denique viros extulit atque effert scientiarum laude insignes, praesertim naturalium, quarum quanta sit, praesertim hac nostra aetate, necessitas, nedum utilitas, nemo non videt.

Haud multo post Antonius, ut christianae puellarum educationi consuleret, hospitium illud, quod Mediolani instituerat piissima illa Guastallae comitissa Ludovica Torelli, in monasterium convertere sategit, idque generosae matronae adeo suasit, ut illa statim ab Apostolica Sede eius rei facultatem impetrandam curaverit. Summus Pontifex, Paulus III, datis litteris in forma Brevis, anno MDXXXV, preces excepit, atque ita orta sunt illa sacrarum virginum manasteria, quibus *Angelicarum* nomen est. Nam cum sacris illis virginibus sanctus Antonius facultatem fecisset nomen eligendi, quo compellari vellent, quaedam ex iunioribus divino veluti instinctu exclamavit *Angelicarum* nomen illarum coetui virginum convenire, quod cum uni-

versae magnopere probassent, cognomentum illud sumptum est lubentissime, pollicitatione addita vitam se nomini dignam praestituras.

Angelicarum virginum recessus, eos sapientissimis legibus sancto Antonio moderante, in tantam existimationem brevi venerunt, ut inde aliarum sacrarum virginum reformationis sumpta sint initia. Angelicas sorores tanti faciebat sanctus Carolus Borromaeus, ut eas appellare consueverit « *il più prezioso gioiello della sua mitra* »; praecepta autem, quibus regebantur Angelicae, totaque earum institutionis ratio multo usui fuerunt sancto Francisco Salesio in mirabili illa fundatione sororum, quibus a Sanctissimae Virginis Visitatione nomen est. Angelicarum monasteria quidem, cum adhuc aetati nostrae profutura censeamus, ad officium nostrum pertinere visum est commendare. Quamobrem Laudensem Episcopum, illas ut in dioecesi sua restitueret, vehementer hortati sumus.

Praeclarissimis hisce institutionibus de Ecclesia optime meritus est Antonius, qui ut eas regeret, atque ab obtrectatoribus defenderet, qui non pauci iique potentes fuerunt, curas assiduas atque ingentes debuit impendere. Nihilominus, quasi vacaret, eodem tempore cleri populique Mediolanensis reformationi ita consuluit, ut iure hac in re sancti Caroli Borromaei praecursor sit appellatus. Mediolani etiam, perinde ac Cremonae fecerat, non modo animabus, sed etiam corporibus consuluit, nec ullum excogitari potest aerumnae miseriaeque genus, quod arcere ille, aut saltem levare non cogitaverit. Nec solum Cre-

mona et Mediolanum summa Antonii beneficia senserunt, sed etiam tota dioecesis Vicentina, ad quam recreandam et reformandam a Cardinali Ridolfi vocatus fuerat.

Tot tantaeque rerum gestarum laudes ab heroicis incliti viri virtutibus sunt repetendae, quas ex assidua Iesu Christi contemplatione ille hausit aluitque. Ut enim ait scriptor eius vitae gravissimus, « ex Passione Domini No-
« stri collectum sibi veluti myrrhae fasciculum inter ani-
« mae ubera cum perpetuo deferret, submissum e caelo
« virtutum omnium perfectissimum exemplar inspiciebat,
« solum in eam rem obversus, ut fortia agendo et pa-
« tiendo eiusmodi imagini conformis evaderet ».

Hinc assidua in beato Antonio rerum caelestium meditatio, hinc mirus ille, quo sacrum celebrabat, fervor, immensumque Christi regni dilatandi studium, ex quo primus et divinae Hostiae adorationem in triduum solemnem, prout hactenus, haud invalidis documentis, invexisse perhibetur; hinc tenerrima erga Virginem pietas, per quam se Crucifixus amari voluit: hinc poenitentia fere incredibilis cum innocentia angelica coniuncta: hinc summa humilitas, qua se infra peccatorum miserrimos abiiciebat. Tantam virtutem etiam in terris Christus miris donis et charismatibus ornare atque extollere dignatus est.

At iam immortale praemium, florentem adhuc aetate manebat Antonium; qui, cum Guastallam vocatus esset, gravissimis discordiis vexatam, ut pacis auctor esset, gravi morbo corripitur. Mediolanum et suos cogitat, sed proxime moriturus maluit Cremonam, viciniorem urbem, de-

ferri. Ibi in pientissimae genitricis complexu, quam propediem caelum subituram praedixit, futuros Congregationis suae eventus aperiens inter effusas sodalium lacrymas, sancti Pauli visu et adloquio, ut a gravissimis auctoribus traditum est, recreatus, cunctis Ecclesiae Sacramentis ferventissime atque humillime susceptis, placidissime, et quasi caelestes delicias praelibans, mortuus est die v Iulii anno MDXXXIX, aetatis suae septimo post trigesimum.

Defunctum Antonium populus universus, summo cleri consensu, inter beatos caelites statim veneratus est. Hinc reliquiarum eius cultus eximius; hinc imagines eius, radiis aureolisque nitentes, super aras expositae; hinc constans beati appellatio Antonio tributa, nec solum in Insubria et in Italia, sed etiam in nobilioribus Europae regionibus. At nonaginta quinque annos post eius obitum, quum promulgata essent celeberrima Urbani VIII decreta, Clericorum sancti Pauli Congregatio ab eo cultu abstinendum censuit, etsi illum, non uno ex capite, Urbaniana decreta videri possent non respicere. Vicit tamen summa Sanctae Sedi Apostolicae observantia. Quod eo magis Barnabitarum laudi verti debet, quod aegre admodum causa nobilissima, *per viam,* ut aiunt, *non cultus* expediri poterat. Verum cum inclitae memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV salubriter statuisset, in causis antiquis *subsidiarias* quoque *probationes* excipi posse; studia omnia sua Barnabitae contulerunt, ut magna istiusmodi probationum copia, causam sui Ordinis principem instruerent. Sed temporum iniuria usque ad annum MDCCCVIII Ordi-

naria Inquisitio absolvi non potuit, qua perfecta tandem s. m. Pius VII, anno insequente, causae commissionem signavit. Tum feliciter cunctis expletis, quae iure peragenda erant, de virtutibus quaesitum est, quas tandem heroicas declaravit f. m. Praedecessor Noster Pius IX, Caietae perduellium scelere cum exularet, die secunda Februarii, anno MDCCCXLIX.

Interim, dum amantissimi beati Antonii filii proxime futuram super miraculis disceptationem instruebant, edita sunt quaedam Sacrae Congregationis decreta, quibus redintegrabatur cultus beati Marinoni e Clericis Theatinis, necnon e Societate Iesu beatorum martyrum Azevedo eiusque sodalium, nuperrime vero illorum Heroum, qui Ecclesiam Christi in Anglia fuso sanguine illustrarunt: hinc Clericis Regularibus sancti Pauli ad se pertinere visum est, ut eadem ratione Fundatoris sui gloriae prospicerent. Hinc, summa cum animi laetitia consecuti sunt, ut de eius cultus redintegratione apud Sacrum Rituum Congregationem ageretur. Sacra Congregatio favit, Nosque eius scitum libentissime probavimus decreto MDCCCXC die III Ianuarii, interque beatos coli Antonium Mariam decrevimus. Anno secuto, Clerici sancti Pauli causam pro Canonizatione resumere aggressi sunt; rogantes insuper, ut miracula pro eius Beatificatione proponenda valere possent ad Canonizationis effectum. Utrumque a Sacra Congregatione probatum cum esset, Nos die XIII Maii anno MDCCCXCI Commissionem reassumptionis causae beati Antonii Mariae Zaccaria propria manu signavimus, simul-

que indulsimus, ut miracula eiusdem beati intercessione a Deo obtenta post annum MDCCCXLIX proponi possent pro ipsius Canonizatione.

Tria autem ad hunc effectum proposita sunt miracula. Primum ordine propositionis accidit in Archidioecesi Bononiensi anno MDCCCLXXVI, cuidam Vincentio Zanotti, agricolae. Hic, vigesimo aetatis anno varicibus laborare coepit in crure sinistro. Varicibus successit ulcus, aestivo praesertim tempore atrox, tamque dolens, ut nulli labori operam dare posset Vincentius. Post aliquot annos hic medico crus videndum exhibuit, ut medicinam pararet. Medicinam, quae morbum vinceret, nullam parari posse asseveravit medicus (ulcus enim ex mala diathesi pendebat); quamobrem quaedam tantum praescripsit ad illud vel continendum, vel mitigandum idonea. Reipsa, inter alternas vices, morbus fere semper recruduit, donec, cum iam ad senectutem pervenisset aegrotus, deterrimus factus est, et gangraena imminere videbatur. Tunc ad Beati intercessionem confugit Vincentius, eumque ut demereat, preces novendiales init, quibus peractis melius se habere sensit, ulcusque ad cicatricem vergere perspexit. Triduanas preces addit, quibus expletis vires redeunt, et alacriter ad gravissimos agriculturae labores, suis et amicis gratulantibus, redit. Ulcus sanatum esse solida testabatur inducta cicatrix.

Alterum accidit Cremonae anno MDCCCLXXIII. Paula Aloni nihil de valetudine sua queri debuit usque ad decimum quintum aetatis annum; quo tempore morbo satis

gravi difficilisque diagnosis aegrotare coepit, quem medici *reuma nervosum* dixerunt. Symptomata praecipua, nervorum contractiones, acerbi per totum corpus dolores, et aliquoties febris. Deinceps tumor pessimae indolis, primum in gutture, postea sub axillis erupit; quo chirurgica arte sanato, prior morbus atrocior factus est, et Paula gradiendi impos decumbere coacta est. Febris ardentissima, dolor in cunctis artubus, in capite autem, in nuca, in renibus intolerabilis; vomitiones, deliquia, deliramenta, suffocationes. Spinitem dixere medici, non modo insanabilem, sed leniri nesciam. Septennium solidum eo in statu transegerat miserrima femina, summa macie confecta, ut pelle et ossibus constare videretur, cum R. D. Carolus Crotti, eius Confessarius, auditis miraculis venerabilis Antonii Zaccaria, eius imaginem et quasdam reliquias Paulae dedit, eamque ad bonam spem ita induxit, ut mulier fiduciae plena novendiales preces inceperit. Cum exaudita non esset, nihil fiduciae amisit, et Antonium tandem exauditurum certa iugiter orabat. Iam extrema unctione munita fuerat, et Ecclesiae benedictionibus roborata proxime obitura videbatur, cum nescio quo impetu correpta, e lecto surgere conata est. Conatus felix! nam viribus statim receptis, non modo illico ambulare, sed multo fortique cibo vesci potuit; quae valetudo, qua numquam ante morbum usa erat, plurimos annos duravit.

Tertium miraculum Francisco Aloni, fratri Paulae accidit. Hic, ineunte aetate herpete laboraverat, puer cerebri inflammationibus, quae mentis aciem retuderunt,

aliisque morbis pravum omnino corporis habitum significantibus. Quadraginta quinque annos natus, cum in crus dexterum incidisset, illud fractum est. Diuturna cura convaluit, at in eodem crure supervenit tumor, qui primum plaga, deinde ulcus factum est teterrimum. In nosocomium Cremonense receptus, ut chronicus et insanabilis bis dimissus est. Accessit osteoperiostites. Tum, a cunctis derelictus, a sorore Paula opem imploravit. Haec, venerabilis Antonii recordata, qui sibi iam moriturae adfuerat, bono animo fratrem esse iubet, et Venerabili Antonio per novendium cum fiducia supplicare. Paret Franciscus, cuius cruri Paula iam Reliquias Venerabilis admoverat, et novendialibus precibus expletis, omnino convaluit.

Quae miracula, nempe *instantanea perfectaque sanatio Vincentii Zanotti ab inveterato et insanabili ulcere in laevo crure; Paulae Aloni a chronica et incurabili affectione nervei centri spinalis; denique Francisci Aloni Cremonensis ex chronico inveteratoque ulcere in dextero crure,* cum de more ter expensa essent, primo in Congregatione antepraeparatoria habita die XVII Decembris anno MDCCCXCV, deinceps in Congregatione praeparatoria die I Septembris anno MDCCCXCVI, denique in Congregatione generali coram Nobis coacta die XIV Ianuarii hoc vertente anno: Nos, auditis sententiis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Consultorum; post exoratum in spiritu humilitatis divinum lumen, die XIV Februarii, Dominica in Septuagesima, solemniter ediximus de tribus supra dictis miraculis *Constare.*

Reliquum erat, ut in generalibus S. R. Congregationis comitiis dubium proponeretur: *An tuto procedi possit ad solemnem beati Antonii Mariae Zaccaria Canonizationem.* Obstabat tamen Decretum diei XXIII Aprilis MDCCXLI, quo cautum est in causis, in quibus virtutes directis probationibus non nituntur, quatuor esse discutienda miracula. Nos autem, attenta causae nobilitate, atque dignitate qua pollet beatus, utpote incliti ac de Ecclesia optime meriti Ordinis conditor, a quarto miraculo proponendo Postulatores exemimus. Hinc die XXIII Februarii vertente anno, exceptis libentissime tum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, tum Consultorum sententiis, iterum divino auxilio invocato, Dominica prima in Quadragesima solemniter decrevimus: *tuto procedi posse* ad beati Antonii Mariae Canonizationem.

His peractis, morem libentissime gerentes tum maiorum institutis, tum Praedecessorum Nostrorum exemplis, atque etiam ad augendam tanti eventus solemnitatem, in Consistorio secreto habito die XIX Aprilis vertente anno, universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales convocavimus, eorumque sententiam rogavimus. Qui, postquam dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, Sacrorum Rituum Congregationi praefectus, brevi quidem sed accurata oratione de gestis, virtutibus ac miraculis beati Antonii, necnon de serie actorum disseruisset, sibi mirifice placere responderunt, sanctorum honores tanto viro deferri. Tum, eadem die, convocato publico Consistorio dilectus filius Balthassar Capogrossi-Guarna No-

strae Consistorialis Aulae advocatus pro eiusdem beati Canonizatione eleganter peroravit, Nosque, ut ad eam deveniremus, humiliter supplicavit. Nos vero rei gravitatem ac magnitudinem prae oculis habentes, orationibus et ieiunio adhuc instandum esse censuimus, quo benignissimus Deus lucem suae claritatis super mentem nostram effundere, et in voluntate sua dirigere dignaretur. Curavimus deinde litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores Venerabiles Fratres Episcopi, sed remotissimi quoque, servatis servandis, hac de re certiores fierent, seque ad urbem conferrent, ut, Divino Spiritu invocato, et ipsi sententiam suam aperirent, super Canonizatione beati Antonii Mariae, et beati Petri Fourier, quem illi sociavimus. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant coram Nobis, tum ex documentis S. R. C., quorum exempla singulis tradi voluimus, in semipublicum Consistorium coram Nobis coactum die xx Maii, convenerunt. Non modo Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi unanimi sententia ad hanc Canonizationem absolvendam Nos cohortati sunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta, in tabularium S. R. C. relata sunt.

Pro solemni vero huius Canonizationis celebratione diem statuimus xxvii mensis Maii, qua recolitur Iesus, *Salutis humanae Sator, voluptas cordium, Orbis redempti Conditor, Victor triumpho nobili, ad dexteram Patris sedens.*

Indictis interea ieiunio, statutisque Ecclesiis ad Sacras Indulgentias lucrandas, hortati sumus omnes Christifideles, ut, animis recte comparatis, ad tantam solemnitatem accedentes, largiorem caelestium beneficiorum copiam acciperent.

Illud etiam visum est tum ut fidelium quamplurimorum desideriis satisfaceremus, tum etiam ad maiestatem ritus augendam, illum in maximo totius orbis templo celebrari, iuxta antiquissimum morem, quem temporum tristitia et luctuosissima Christi Vicarii captivitas compulerunt intermittere. Cum enim imperscrutabili Dei iudicio haec duret captivitas, non inopportunum iudicavimus, fideles coram ipso Sanctorum Apostolorum Sepulcro ferventiores ingeminare preces, ut Deus tandem vel convertere Sanctae Ecclesiae inimicos, vel humiliare dignetur.

Statuta itaque faustissima dies cum advenit, omnes tum Saecularis tum Regularis Cleri Ordines, singuli Romanae Curiae Praesules, et Officiales, cuncti, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi ad numerum circiter tercentorum convenerunt, quibus praeeuntibus solemni supplicatione Nos ingressi sumus Vaticanam Basilicam magnificentissime ornatam. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella S. R. C. Praefectus, Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto filio Balthassare Capogrossi-Guarna Nostrae consistorialis aulae advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum, necnon universi Barnabitarum Ordinis et sororum Ange-

licarum, ut beatum Antonium Mariam sanctorum honore decoraremus; cumque iterum, et tertio iisdem ferventer institissent et votis et precibus, Nos Divini Spiritus lumine humiliter invocato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, matura deliberatione et *voto* Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum Antonium Mariam presbyterum, Clericorum regularium sancti Pauli, atque Virginum Angelicarum Fundatorem, Sanctum confessorem esse declaravimus.

Cui eodem decreto sociavimus Petrum Fourier de Mataincouria, sacerdotem Lotharingum, Generalem et Reformatorem Congregationis Salvatoris Nostri nuncupatae, Ordinis Canonicorum regularium sancti Augustini, et Institutorem Monialium Congregationis titulo *Dominae Nostrae* et regula eiusdem sancti Augustini, et ipsum virtutum et miraculorum gloria insignem.

Memoriam sancti Antonii Mariae Zaccaria quotannis die v Iulii in martyrologio referri mandavimus, et cunctis fidelibus, qui eius dicta die exuvias venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo largiti sumus. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo humiliter actis, coram Nobis sacrum solemne operante Venerabili Fratre Nostro Cardinali Aloisio Oreglia, Episcopo Ostiensi et Veliterno, sacri Collegii Decano; Nos,

post Evangelii lectionem, clerum populumque universum allocuti sumus, hortantes vehementer, ut Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli intercessionem, et illam novensilium sanctorum pleni fiducia implorarent, in iis praesertim Ecclesiae necessitatibus. Denique plenaria indulgentia cunctis adstantibus effusissimo cordis affectu impertita, Apostolicas hasce litteras, manu nostra et S. R. E. Cardinalium signatas, sub plumbo expediri mandavimus.

Audivistis, filii dilectissimi, ab Apostolo dilecto, quae quantaque sint gaudia novae Hierusalem, *victoribus* a Christo praeparata; iis scilicet, qui Christum ipsum induentes, de mundo, de carne, de tenebrarum potestatibus triumpharunt, exhibentes *corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, quique saeculo conformari noluerunt, et probaverunt, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* [1]. *Nam timidis et incredulis et execratis, et homicidis et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure* [2].

Animadvertite autem, filii dilectissimi, stagnum ardens igne et sulphure partem esse non solum incredulorum, execratorum, homicidarum, fornicatorum, mendacium, sed etiam timidorum. Ut ergo victoria nos ad adeptionem *montis magni et alti* perducat, non vanis cogitationibus et sterilibus desideriis, sed tota mente, toto corde, totis vi-

[1] Rom. XII, 1, 2.

[2] Apoc. XXI, 8.

ribus contra saeculum certemus oportet; nihil dissimulantes, nihil formidantes, mortemque ipsam magni et suavis praemii loco ducentes, quando illam pro vera animae nostrae libertate et dignitate, pro Christo, pro Ecclesiae iuribus et legibus oppetere contingat.

Ubique contra sanctissima haec et augustissima nomina et res bellum geritur atrocissimum: in Italia autem illud et tetrius est et indignius; in Italia, inquam, ubi Christus Regni sui Sedem posuit principem, quam minuisse sacrilegi homines ita gloriantur, ut nefandum facinus solemni civili ritu, ceu maximos patriae, imo humani generis fastus, celebrare, et immani elato, prope eversam Crucem, monumento perennare non vereantur. Adsit Deus Optimus Maximus; et, intercedente sancto Antonio Maria. causae Nostrae faveat: faveat coeptis vestris, nobilissimi Italorum, qui pro Christo et Ecclesia strenuissime certatis, nec *insipientium errore traducti, excidistis a propria firmitate* [1].

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa ex scientia et auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus. atque iterum statuimus, universaeque Ecclesiae catholicae denunciamus: mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae

[1] Pet. Epist. II, III, 17.

hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire, aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VI Kal. Iunias, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

✠ Ego LEO Catholicae Ecclesiae Episcopvs

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.

✠ Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi.

✠ Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli.

✠ Ego M. Episcopus Sabinen. Card. Mocenni.

✠ Ego I. Episcopus Albanen. Card. Verga Maior Poenitentiarius.

✠ Ego C. Soc. I. Episcopus Praenestin. Card. Mazzella.

✠ Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.

✠ Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.

✠ Ego V. tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. Vannutelli.

✠ Ego A. tit. SS. Bonifacii et Alexii Presbyt. Card. di Pietro.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Aracoelis Presbyt. Card. Satolli.

✠ Ego Fr. H. M.ª O. Carm. excalc. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. M.ª tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Iacobini.

✠ Ego A. tit. SS. Nerei et Achillei Presbyt. Card. Agliardi.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Prior Diaconor. Card. Mertel S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Diac. Card. Macchi.

✠ Ego A. Soc. I. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego Fr. R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego I. S. Caesarei in Palatio Diac. Card. Prisco.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cvgnonivs

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

BEATO PETRO FOURIER

CANONICO REGVLARI

REFORMATORI CONGREGATIONIS SALVATORIS NOSTRI

ET MONIALIVM DOMINAE NOSTRAE INSTITVTORI

SANCTORVM HONORES DECERNVNTVR

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

*Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* [1]. Unicum est quippe caritatis praeceptum, quo Deum, et proximum propter Deum diligere iubemur. Etenim *ratio diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit: unde manifestum est, quod idem specie actus sit, quo diligitur Deus, ut diligatur proximus; et propter hoc habitus caritatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed ad dilectionem proximi* [2]. Quapropter qui dilectionem proximi a dilectione

[1] I Ioan. IV, 21.

[2] S. Thomas, q. XXV, a. 13.

summi boni, quae est caritas, seiungunt, *philantropiam*, nescio quam inducentes, hi profecto humani generis finem ultimum pervertentes, nempe Deum, ipsam actionem virtute sublimissimam in nihilum vertere conantur.

Hinc luctuosa valde ac pessima illa iudicandi proclivitas in proximi procuranda felicitate; bona scilicet spiritualia vel nihili ducenda, vel saltem posthabenda iis, quae ad corporis animique cultum, vel civilem profectum, ut aiunt, pertinere videntur. Quod quam prorsus sit absonum a Christi doctrina, luculentius sanctorum exemplis quam verbis demonstratur. Intuemini itaque, filii dilectissimi, insigne caritatis exemplar, quod vobis hodie proponit Ecclesia, ut sanctum Petrum, eius adiuti auxilio, imitantes, ex ipso caritatis fonte Domino Nostro Iesu Christo, veram caritatem haurire possitis, quae nuptialis vestis est; qua qui non sit indutus, *ligatis manibus et pedibus, mittitur in tenebras exteriores* [1].

Petrus honesto loco natus est Mirecuriae in Lotharingia anno Domini MDLXV, die XXX Novembris, patre Dominico Fourier, matre Anna Nacquart, catholicae religionis amore et christianarum virtutum laude spectatissimis. Filiolum, quem cariorem habuerunt, propter mirabilia charismata, quibus ab infantia enituit, magna cura edocuerunt: cumque in adolescentulo iam provectae virtutes apparerent, itemque experrecti admodum ingenii emicarent indicia, eum Patribus e Societate Iesu instituendum

[1] Matth. XXII, 13.

tradiderunt, in lyceo Mussipontano, celeberrima tunc in Lotharingia et scientiarum et virtutum palaestra.

Hic cum litteras humaniores et philosophiam perdidicisset, altiora studia antequam ingrederetur, de vitae statu eligendo cogitare coepit; cumque diu et sapienter deliberasset, non sine divino instinctu Canonicis regularibus nomen dedit, et Calmosiacum Monasterium ingressus, ibi tyrocinio ad exemplum posito, cum magna omnium expectatione vota nuncupavit.

Deinceps in Mussipontanam Universitatem reversus, ut sacris scientiis operam daret, studiorum socios nactus est Lairuels et De la Cour; quorum primus disciplinam restituit in Ordine Monachorum Praemonstratensium, alter optime de Benedictino Instituto meritus est, celeberrimusque fundator extitit Monasteriorum, quibus a sancto Victore et a sancto Adulpho nomen est. Illorum conversatione valde delectatus est Petrus, qui facile ex eis, et Ioanne Fourier e Societate Iesu consanguineo suo, quem tanti faciebat sanctus Salesius, multa hausit, quae dein in Monasterii Calmosiaci reformatione plurimum profuerunt.

Quamobrem quum eo rediisset, et sacerdotio auctus esset, quid religiosus praestare debeat magis exemplo, quam inani verborum iactatione ostendens, Antistitem statim rogavit, ut maiorem sui commeatus partem in pauperes erogare liceret, contentus ipse leguminibus, decoctis radicibus, et vino aqua dilutissimo; orationi, contemplationi, et rigidissimae poenitentiae unice addictus.

Quomodo autem Petrus animo comparatus esset, tum

perspectum fuit, cum, tribus curatis beneficiis vacantibus, ei facta est facultas, quod vellet, eligendi. Elegit enim quod pauperius erat, et vitiosis hominibus ac religioni catholicae infestis adeo retortum, ut *et parva Geneva* vulgo appellaretur, aiens: *ibi parum futurum esse reddituum, laborum satis.* Pago nomen erat Mataincuria, quem beatus Petrus ingressus est, cum iam instarent Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi solemnia. Quamobrem beneficii sui possessionem inire voluit divinissimum Sacramentum solemni pompa circumferens, tantaque maiestate verendus, ut eius conspectus ad fidem et poenitentiam commoveret animos. Qui victi omnino sunt, cum Petrus ardentissima et tenerrima verba fecisset de miro erga homines Iesu Christi amore, deque sua voluntate tam bonum pastorem imitandi usque ad mortem, quam se pro cuiusque eorum salute libenter obiturum non dubitaret. Hinc miraculo simile visum est, quod opere beati Petri in eo diaboli domicilio tria catholica sodalitia eaque frequentissima constituta sint; quorum primum dicatum Sanctissimae Virgini a Rosario nuncupatae; alterum eidem sine labe originali conceptae, cui Deiparae privilegio se Petrus adsertorem praestitit strenuissimum; tertium sancto Sebastiano.

De prodigiosa huiusmodi populi immutatione, per universam dioecesim Tullensem, cum fama percrebuisset, miri undique popularium Mataincuriae concursus facti sunt; et ipse Episcopus Tullensis, Petro aliis parochis in exemplum proposito, illum iussit universam dioecesim sacra expe-

ditione peragrare: quod ita ille praestitit, ut christianae virtutes sopitae et fere intermortuae iterum viguerint, et Calviniana haeresis, alicubi iam audacius exultans, fuerit repressa.

Haec cum ageret ad spiritualem populorum sibi creditorum profectum, minime ea negligebat, quae civili eorum cultui provehendo maxime conducunt; qua in re multa ille excogitavit instituitque, quibus recentiores oeconomicae scientiae doctores gloriantur, quaeque, si vitam eis christianae caritatis halitus infundat, valde prosunt reipublicae atque animorum concordiae. Praeceptum autem eleemosynae adeo suis inculcabat, tamque suaviter, ut Mataincuriae quoddam quasi inter ditiores certamen esset in eleemosynis suppeditandis, ac ille locupletior censeretur, qui pluribus praesto fuisset pauperibus.

At praecipue rectam christianae plebis institutionem beatus Petrus curavit. Qua in re perversae illi consuetudini, quae tunc gliscere coeperat, *promiscuae,* quam vocant, *scholae,* acerrimum bellum indixit; cumque res ei feliciter Mataincuriae evenisset, hanc pestem aliis etiam ex locis arcendi cupidus, magnam ac perpetuam sacrarum Virginum Societatem instituere cogitavit. quae puellis feminei sexus ad bonas artes et pietatem instituendis, gratuitam daret operam. Salutaris haec institutio, Deo adiuvante, et interdum modis omnino mirandis adeo crevit, ut etiamnum non modo in Europa aliisque veteris mundi partibus, sed etiam in America fructus edat uberrimos. Eam autem s. m. Paulus Papa V probavit calendis Fe-

bruarii anno MDCXIV, deinceps Urbanus VIII egregiis privilegiis decoravit, et Moniales Canonissas regulares sancti Augustini Congregationis *Dominae Nostrae* esse et nominari sanxit.

Interim, quam exemplo inceperat Canonicorum Regularium reformationem provehere et perficere, auctoritate canonica munire sategit. Sanctus enim vir valde dolere debuit, sacrum illum coetum, cuius historia tot praeclaris gestis, tot viris doctissimis et sanctissimis illustris est, in quo sanctus Dominicus, sanctus Bruno, sanctus Norbertus gloriosae vitae initia posuerant, adeo a seipso iis in locis descivisse, ut Pontificum, atque celsissimorum Ecclesiae procerum, illum ad pristinam dignitatem revocare pluries nitentium, et auctoritatem fefellerit et caritatem. Quamobrem Gregorius XV Apostolicis litteris Episcopi Tullensis studium probavit, qui post fere irritos Cardinalis Caroli a Lotharingia conatus, iterum in Canonicorum regularium reformationem, Petro adiutore maximo, vigilantius nitebatur. Res adeo prospere cessit, ut idem Pontifex brevi Romae exceperit duos pietate et doctrina viros spectatissimos rogantes: ut Monasteria, quae Petrus mandato Episcopi Tullensis et Pontificia auctoritate reformaverat, probarentur, ac in iuridicam Congregationem erigerentur, cui perpetuus Generalis praeesset. Unio Monasteriorum statim concessa est; Generalatus autem perpetuitas non item; sed haec etiam die XXV Ianuarii anni MDCXXIX impetrata est.

Haec dum gereret Petrus, Mataincuriensium minime oblitus est. Ad hos, nomine suo regendos, Vicarii munere

reliquerat sacerdotem optimum, qui sua vestigia secutus, eos in religione confirmaret, et contra lupos, ac praesertim haereticos, strenue defenderet. Ceterum, cum sui praesentia gregis interesse videretur, nulla cunctatione aderat, solitique sunt Mataincurienses ad Petrum confugere, quoties calamitate aliqua affligerentur, quam putarent in suam perniciem a daemone conflatam. Nam populo illi statim in mentem veniebat non posse diabolum in suo oppido manere, Petro praesente, qui illum animabus suis pridem insidiantem arcuerat; qui paullo ante Monasteria a Petro fundata contra terribiles eorum conatus strenue defenderat, tantaque victoria debellaverat, ut rerum gestarum fama cum hominum admiratione latissime erat pervagata.

Sed longe clariores eae victoriae reputandae sunt, quibus Petrus de haereticis, qui patrem habent diabolum, pluries triumphavit, quaeque effecerunt ut Lotharingiae dux non semel eius operam invocaverit, cum sibi res esset cum haereticis, hominibus plerumque factiosis, atque etiam civili concordiae infestis. Badonvillae, quae oppidum est Comitatus Salmensis princeps, Calviniani reipublicae iam fere potiti, eversa parochi domo, et beneficii redditibus dissipatis, proceribus civitatis sibi faventibus, plebe vel minis perterrita vel promissionibus irretita, et ad illorum ritus coacta, ipsum catholicum nomen se delevisse gratulabantur. Petrus eo venit, exemplo virtutum suarum, precibus, ieiuniis, mirabili ac suavissima eloquentia, labentem inter catholicos fidem confirmavit, haereticos coercuit, atque ita commovit, ut suorum eos facinorum

poeniteret; denique parochialem aedem subsidiis undique conquisitis reparat, ipsum haereticorum templum Deiparae consecrat, in eo Missam parochialem celebrat, concionatur, invitatione facta etiam *extraneis*. Sic enim appellabat haereticos, tum ut minus acerbo nomine eos alliceret, tum ut Paulum imitaretur, qui fideles *domesticos* vocaverat.

His artibus vincebat Petrus, pluriesque vicit. Cum autem et Dux Lotharingiae, et summi Magistratus ei gratularentur, et populus tanto benefactori plauderet, ille, demisso capite, ea minime sibi sed primum Deo, deinde Sodalium suorum atque bonorum hominum meritis accepto ferenda esse affirmabat. Miracula etiam, quorum multa eum patrasse gravissimi testes perhibent, a se, quantum licuit, abiudicavit, servilibus ministeriis, inter suos, ipse contentus. Denique cum anno MDCXXXVI, pro publicis negotiis, cum aliquot e suis sociis Graiacum, Comitatus Burgundiae oppidum, missus esset, ob belli suspiciones eo prohibitus est. Quamobrem aliquot diebus in pago de *Dom Pierre* moratus, in Castro de Resines constitit, ubi dum pueris erudiendis operam daret, maiores autem natu sacris Ministeriis aliisque piis exercitationibus excoleret, in *quartanam* incidit, morbum sane non gravem, ex quo tamen se brevi moriturum praedixit Petrus. Qui vix morbo tentatus, tam ob sua peccata, sic ille dicebat, aliorum sanctorum more consternatus est, tam territus proximo divino iudicio, ut singultibus lacrymisque ad Mariam confugeret, a qua negabat se posse deseri, clientem quidem indignissimum, at ex corde amantissimum.

Illuxit tandem dies Deiparae Immaculatae dicata, qua Petrus, sacra Synaxi iterum recreatus, exclamavit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub pectus meum, dignus autem? Indignissimus qui extra pomerium urbis canibus et corvis vilis praeda pabulumque conficiar.* Deinde ad Virginem ea verba ingeminans: *Monstra te esse Matrem;* ter expresso supra se signo Crucis, placidissime decessit, aetatis suae anno septuagesimo sexto, die IX Decembris MDCXL.

Corpus apertum est, et cor cum praecordiis Graiacensibus donatum; deinde Lotharingiam versus a Canonicis Regularibus transferebatur, ut in destinato loco sepeliretur; sed Mataincuriam vix perventum, populus venerabundus occurrit, negavitque se passurum sancti et amantissimi parochi corpus alibi sepeliri. Itaque Mataincuriae situm est adhuc beati Petri sepulchrum, ibique Deus gloriam incliti servi sui magnis miraculis confirmavit et confirmat.

Interim de eo ad altarium honorem evehendo cogitatum est, et Inquisitionibus Ordinariis rite peractis ad virtutum *dubium* apud sacram Congregationem ventum est. Cunctis legitime perfectis, Clemens XI s. m. Praedecessor Noster die I Aprilis anno MDCCXVII decrevit: *Constare de virtutibus Venerabilis Servi Dei Petri Forerii, tam theologalibus, scilicet fide, spe et caritate, quam Cardinalibus, nimirum prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia, earumque respective adnexis, in gradu heroico.*

Quaestio vero super miraculis agitata est in Sacrorum Rituum Congregatione, cum Fidei Promotoris munere

fungeretur inclitae memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV, qui ea de re loquitur in suo opere de Canonizatione, lib. IV, cap. XV; eademque pro veritate propugnata sunt a summo viro Ioanne Lancisio, et sunt eiusmodi: 1.° *Duo mortui, invocato beato Petro Forerio, et Reliquiarum eiusdem super ipsis applicatione, ad vitam redeunt;* 2.° *Monialis a decem mensibus variis morbis acerbissimis vexata, et demum moribunda, applicatione imaginis beati Petri Forerii, et Reliquiarum eius, in instanti plenissima donata valetudine;* 3.° *Mulier ita morbo comendio, seu sciatica, ab anno et amplius affecta, ut nec stare, nec ambulare posset, repente sanatur;* 4.° *Duo fratres, ab annis plurimis molestissimis et incurabilibus herniis affecti, recursu ad beatum Petrum Forerium instantanee simul et perfectissime sanantur.*

Iis miraculis apprime probatis, decretoque Pontificio confirmatis, s. m. Praedecessor Noster Benedictus XIII, litteris Apostolicis in forma Brevis, beatorum numero Petrum adscripsit, die X Ianuarii anno MDCCXXX. Ex eo tempore, etsi nunquam deferbuerit Beati memoriae cultus, tamen causa siluit usque ad annum MDCCCXLV, quo tempore resumpta est ad Canonizationis effectum. Anno autem MDCCCLXXXII, die XI Septembris datae sunt litterae remissoriales pro construendo processu Apostolico super miraculo apud curiam ecclesiasticam Argentinensem: die vero XX Decembris insequenti anno pro Apostolica alterius miraculi inquisitione apud curiam ecclesiasticam Parisiensem instituenda.

Primum miraculum accidit anno MDCCCLXVIII, Mariae Alexandrae moniali Sodalitatis a *Domina nostra*, cui nomen *Abbaye aux Bois*, in Archidioecesi Parisiaca. Ipsa, anno MDCCCLXVII linteaminum sarcina onusta, dum scalas ascenderet prolapsa, genu in gradu earum vehementer offendit. Acerrimus in ictu dolor, postea ita sensim elanguit, ut Alexandra suis officiis fungi posset. Sed anno insequenti, mense Aprili, insidiosus morbus hactenus tanta erupit vi, tamque diris symptomatibus, ut funestam medici facerent prognosim. Nam dolori perpetuo atque acutissimo saeva febris accesserat, inflatio lateris dextri totius, virium debilitas summa, deliquia, ciborum nausea. Nec remedia proderant ab expertissimis medicis adhibita. Arthritis traumatica (talem esse morbum compertum fuerat doctoribus) in dies progrediebatur, nullaque iam erat salutis spes. Ad opem beati Petri Alexandra et sorores fiducia plenae confugiunt, novendiali supplicatione, admotisque ad genu aegrum eius Reliquiis. Nocte illius diei, qua novendiales preces inceptae sunt, Alexandram placidissimus complectitur somnus; postridie mane, gratulantibus sororibus, surgit e lecto, citissime ambulat, libentissime manducat. Nulla autem diri morbi atque ipsarum chirurgorum incisionum vestigia.

Alterum accidit mense Iulio MDCCCLXXXI, Mariae Franciscae eiusdem Congregationis sodali in asceterio Argentinensi. Illa, quae pridem gravissimis uteri perturbationibus obnoxia fuerat, mense Aprili MDCCCLXXI stomacho laborare coepit, et doloribus atrocissimis cruentae vomitiones suc-

cesserunt. Ex vomitionibus haud satis medicis constabat, an de cancro, an de ulcere ageretur; ulcus tamen vicit ex complexu symptomatum, atque ex origine morbi. Quatuor per annos eo divexata Francisca cadaveri similis decumbebat, cum novendiales preces ad beatum Petrum inceptae sunt. At furere magis morbus visus est; verumtamen fiducia intercessionis maior apud Franciscam et Sodales. Sub noctem postremi novendialis supplicationis diei, e caelo beatus favet. Francisca, cum placide obdormivisset, nullo sustentata fulcimine e lecto surgit, in asceterii Oratorium gratulabunda pergit, et SS. Eucharistiam una cum sororibus sumit. Deinceps valido cibo reficitur, solitosque labores obit, et plures per annos obire perrexit validissime.

De his miraculis cum disceptatum esset in Congregationibus antepraeparatoria et praeparatoria Sacrae Congregationis, die XVI Novembris anno MDCCCXCVI, causa ad Nos delata est, quaesitumque in comitiis generalibus eiusdem Congregationis: *An, et de quibus miraculis post indultam eidem beato venerationem constet in casu, et ad effectum, de quo agitur.* Nos, tum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis auditis, implorato Paracliti lumine, die VI Ianuarii hoc eodem anno, decrevimus: *Constare in casu de duobus miraculis,* scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis matris Mariae Alexandrae a gravissima arthritide in genu dextero;* deque altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Franciscae a gravissimo ulcere in stomacho.* Dominica autem in Septuagesima eo-

dem anno, iterum Divini Spiritus lumine implorato, decrevimus: *Tuto procedi posse ad solemnem beati Petri Canonizationem.*

Deinceps, iuxtā verendam consuetudinem, in Consistorio secreto habito die XIX Aprilis vertente anno, universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales hac de re rogavimus, ut mentem suam aperirent. Qui beati Petri gestis ac virtutibus, nec non miraculis eius intercessione a Deo patratis, narratore dilecto Filio Nostro Cardinali Caietano Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, auditis, unanimi consensu ad sanctorum honores beatum Petrum evehendum esse censuerunt. Tum, eadem die Consistorium publicum habuimus, atque iterum de gestis et virtutibus beati Petri disseruit dilectus filius Philippus Pacelli sacrae consistorialis aulae advocatus. Curavimus deinde, litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, non modo viciniores Episcopos, sed etiam remotissimos de fausto eventu certiores fieri, ut Romam se conferrent Nobis sententia sua adfuturi. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant in publico Consistorio, tum ex documentis S. R. C., quorum exemplar singulis tradi voluimus, in semipublico Consistorio habito die XX Maii vertente anno sententiam dedere suam, non modo Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, qui ad hanc Canonizationem perficiendam unanimi consensu Nos impulerunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apo-

stolicae Notariis publice confecta, in tabularium S. R. C. relata sunt.

Solemnia autem huius Canonizationis celebrare statuimus in Basilica Vaticana, die vicesima septima Maii, mirabili Domini Nostri Iesu Christi in caelum Ascensioni dicata. Indicto interea ieiunio, statutisque ecclesiis ad Sacras Indulgentias lucrandas, hortati sumus fideles, ut vera cordis contritione, sibi novensiles sanctos propitios facerent, et benevolos caelestium donorum intercessores.

Statuta igitur faustissima die, omnes tum saecularis tum regularis Cleri Ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi convenerunt. Quibus praeeuntibus solemni supplicatione Nos ingressi sumus Vaticanam Basilicam magnificentissime ornatam. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Balthassare Capogrossi-Guarna, sacrae consistorialis aulae advocato, Nobis vota detulit sacrorum Antistitum, necnon Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini, et Monialium congregationis *Dominae Nostrae;* cumque iterum et tertio iisdem votis et precibus institisset, Nos divini Paracliti afflatu humiliter implorato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, matura deliberatione et voto Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Prima-

tum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum beatum Petrum sacerdotem, reformatorem Canonicorum regularium sancti Augustini, et Institutorem Monialium congregationis titulo *Dominae Nostrae* et regula eiusdem sancti Augustini, Sanctum confessorem esse declaravimus.

Cui, eodem decreto sociavimus Antonium Mariam Zaccaria, sacerdotem congregationis sancti Pauli, vulgo *Barnabitarum*, et Virginum Angelicarum fundatorem, et ipsum virtutibus, imitatione Domini Nostri Iesu Christi, et magnis miraculis Ecclesiae militantis decus et praesidium.

Memoriam sancti Petri Fourier quotannis in martyrologio die nona Decembris referri mandavimus, et cunctis fidelibus, qui eius exuvias, dicta die, venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo impartivimus. Gratiis deinde Deo optimo maximo actis, adstitimus Venerabili Fratri Nostro Cardinali Aloisio Oreglia Episcopo Ostiensi et Veliterno, et sacrorum Collegii Decano, rem divinam solemniter facienti, et post Evangelii lectionem, confertissimam et exultantem multitudinem adhortati sumus, ut novensilium sanctorum gratiam, imitatione virtutum sibi potissimum conciliaret. Deinde, Apostolica benedictione solemniter impertita, Apostolicas has litteras manu nostra et S. R. E. Cardinalium signatas, sub plumbo expediri mandavimus.

Decet autem Nos ex corde gaudere, et maximas gratias agere et habere Deo viventi in saecula saeculorum, qui famulum suum Petrum benedixit in omni benedictione spirituali, illumque elegit, ut *refulgeret tamquam arcus*

*inter nebulas, et quasi flos rosarum sponsam suam spiritualium aromatum odore impleret.* Arcum hunc fulgentem, inter saeculi procellas, suspicite fideles universi, et aromata spiritualia, quae ex hoc rosarum flore manant, cupide haurite, ut carnis illecebras, cupiditatum impetus, superbientis animi elationem edomare possitis. Suspiciant praesertim lectissimae illae catholicorum cohortes, quae viribus unitis strenuissimam navant operam, ut res christiana ubique provehatur, consuleturque opportune, cunctis tum spiritualibus, tum temporalibus familiarum necessitatibus, ut homines reapse videant, nihil religione non solum esse sanctius, sed etiam salubrius. Suspiciant denique impensius parochi, quos merito christiana plebs veluti patres ac procuratores suos existimat; et sancti collegae Lotharingi caritatem suavissimam, ac zelum patientissimum et industrem aemulantes, tum Sodalitatum catholicarum, tum singulorum e grege sibi commisso, gerant curam, qualem vult Dominus Noster Iesus Christus. Nimirum exhibeant *in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem* [1].

His virtutum exemplis non solum suas sibi magni devincient oves, sed illas etiam, quas haeresis et schisma ab Ecclesiae pascuis distraxit, ad ovile allicient, ut eis etiam *sit gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo*

[1] II Petri I, 5, 6, 7.

*Iesu Filio Patris in veritate et caritate* [1]. Sic, filii carissimi, Divino Pastori similes eritis, qui dixit: *Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam, quae erravit? Et si contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis; quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quae non erraverunt* [2]. Contendite igitur, ut divino Pastori placeatis, et Nobiscum, qui Eius in terris vices gerimus, etiam atque etiam orate ut curis, laboribusque, quos suscepimus pro Ecclesiarum unione, favens, benedicat Christus, qui *consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* [3].

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa ex scientia atque auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, universaeque Ecclesiae catholicae denunciamus: mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae hisce Nostris litteris haberetur, si exhibitae forent atque ostensae.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel

[1] II Ioan. I, 3.

[2] Matth. XVIII, 12-13.

[3] Hebr. V, 9.

temerario ausu contraire, aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VI Kal. Iunias, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

✠ Ego LEO Catholicae Ecclesiae Episcopvs

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.

✠ Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi.

✠ Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli.

✠ Ego M. Episcopus Sabinen. Card. Mocenni.

✠ Ego I. Episcopus Albanen. Card. Verga Maior Poenitentiarius.

✠ Ego C. Soc. I. Episcopus Praenestin. Card. Mazzella.

✠ Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.

✠ Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.

✠ Ego V. tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. Vannutelli.

✠ Ego A. tit. SS. Bonifacii et Alexii Presbyt. Card. di Pietro.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Aracoelis Presbyt. Card. Satolli.

✠ Ego Fr. H. M.ª O. Carm. excalc. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. M.ª tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Iacobini.

✠ Ego A. tit. SS. Nerei et Achillei Presbyt. Card. Agliardi.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Prior Diaconor. Card. Mertel S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Diac. Card. Macchi.

✠ Ego A. Soc. I. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego Fr. R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego I. S. Caesarei in Palatio Diac. Card. Prisco.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cvgnonivs

# HOMILIA

HABITA INTER MISSARVM SOLLEMNIA
IN BASILICA VATICANA
DIE XXVII MAII MDCCCXCVII

—

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

Consurgere animos ex humili in sublime, ex rebus fragilibus ad sempiterna bona iubet imprimis et maxime hodiernus dies: quo die communis parens Ecclesia, mortalis labore cursus nequaquam sane defatigata sed tamen vehementer exercita, geminum solatii fructum, Deo propitio, volente, percipit. Siquidem Iesu Christi memoria, renovatam cruore suo humanam naturam caelo inferentis, coniunctam hodie et connexam habet duorum hominum gloriam, qui, quo praecesserat Iesus virtute sua, eodem et ipsi benignitate eius et gratia consecuti sunt. Quamobrem magna nobis caussa laetandi, magna sperandi. Habemus enim simul in conspectu hinc Christum servatorem, qui cum ad dexteram Patris assedit idem Deus et idem homo, hominibus universis aditum ad caelestia patefecit: hinc hos sanctos novensiles, qui nobis natura pares, sed virtute superiores, ostendunt posteritati qua via

et quibus artibus illuc sit, ubi vere vivitur, veniundum. Profecto summum hoc expetentibus bonum, expetimus autem omnes tamquam finem, evadendum in terris est per difficultates innumerabiles atque asperas, perque illecebras multas peccandi, quibus nimium saepe consopita aut defessa labitur virtus. At vero repetat salutariter animus qualia in hoc genere Antonius Maria Zaccaria, qualia Petrus Fourier documenta reliquerit. Quid est quod persequamur singula? Praeter discrimina omnium temporum communia, ea vobis est cognita, quae utrique eorum contigit, gravibus opima casibus et fecunda culpae aetas. Atqui tamen vigilando, laborando, conando, a semetipsis, divina opitulante gratia, impetravere ut non modo intacti ab offensionibus, sed victoriis onusti defungerentur: idque tanta cum excellentia sanctitatis, ut hos hodie honores adepti iure sint maximos ex omnibus, ad quos christiana aspirare virtus in terris queat. Igitur enitendum ne providentia neu expectatio Ecclesiae fallatur, quae scilicet ad contemplationem sanctorum caelitum vocat, non ut eos admiratione tantum atque honoribus, sed ut etiam similitudine, quoad fieri potest, colamus. Ne quis haereat, ne quis deficiat animo. Respiciat unusquisque ad exempla sanctorum: potissimumque studeat ex hac ipsa celebritate, ex principum Apostolorum proximis cineribus afflatum christianae fortitudinis accipere. Desidentes vulgo mores, pravorum vis exemplorum, lenocinia ipsa cupiditatum asperum efficere virtutis iter possunt, intercludere, si Deo placet, non possunt.

Tu vero, Deus omnipotens, Deus misericors, qui nihil odisti eorum quae fecisti, qui vis omnes homines salvos fieri, tuere tot implicitum periculis populum christianum, populum tuum. Respice hanc multitudinem, quam fides ac pietas huc volentem adduxit, quaeque honorem tibi habet in sanctis tuis: largire Ecclesiae diu multumque optatam tranquillitatem: postremum adesto et succurre privatim infirmitati Nostrae, qui in te confidimus unice. Tibique et Iesu Christo Filio tuo et Spiritui Sancto laus esto et honor et gratia et gloria sempiterna.

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE TIT. SANCTAE ANASTASIAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
MEDIOLANVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communes litteras, quas a te tuisque suffraganeis Episcopis accepimus, gratas admodum habuimus; nec solum ideo quod sensa animorum vestrorum, iam Nobis abunde cognita, iterum testabamini, sed eo maxime quod Concilium Provinciale a vobis celebrandum nunciabatis. Praeclarum factum, quod trium saeculorum spatio desideratum fuit, laudamus amplissime; certam foventes fiduciam consilia vestra et studia plurimum ad utilitatem Ecclesiarum vestrarum collatura. Id ut largius eveniat, dum vobis de delato officio agimus gratias, Apostolicam benedictionem,

Nostrae dilectionis testem et munerum divinorum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Maii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# DECRETVM

QVO SANCTVARIVM SANCTAE MARIAE DE STELLA
ORDINARIAE IVRISDICTIONI
ABBATIAE SANCTISSIMAE TRINITATIS CAVENSIS SVBIICITVR

—

Cum inter Episcopum Caputaquensem et Vallensem, et Abbatem sanctissimae Trinitatis Cavensis controversia existeret, quoad exercitium ordinariae iurisdictionis in Sanctuarium Sanctae Mariae de Stella in vertice montis Cilenti erectum, quippe eam iurisdictionem tum reverendissimus Episcopus Caputaquensis et Vallensis, tum Abbas Ordinarius sanctissimae Trinitatis Cavensis exclusive sibi quisque propriam censuerunt, ad hanc dirimendam controversiam, ipsi communi consilio statuerunt sua iura ad R. P. D. Valerium Archiepiscopum Salernitanum deducere, ut ipse cognita causa prout de iure decerneret. Hoc autem consilio ab ipsis inito, ad Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XIII per Secretarium Sacrae Congregationis Consistorialis delato, Sanctitas Sua R. P. D. Archiepiscopo Salernitano per officium infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis Consistorialis mandavit, ut ipse partes interesse habentes,

deductasque hinc inde rationes audiret, ac suo prudenti iudicio interposito, ad infrascriptum Secretarium de tota re referret. Cum porro de toto hoc negotio per infrascriptum Secretarium Sanctitati Suae accurata relatio facta esset, et rationes ac documenta utrinque adducta, exposita fuissent, ex quibus constitit, solidis fundamentis iurisdictionem et diuturnam eius possessionem Abbatis sanctissimae Trinitatis Cavensis niti, Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, et reverendissimi Archiepiscopi Salernitani prudenti iudicio attento, cupiensque pastorum non minus quam fidelium quieti et tranquillitati stabili modo consulere, memoratum Sanctuarium ad ordinariam iurisdictionem Abbatis sanctissimae Trinitatis Cavensis pertinere declaravit, et quatenus opus sit de Apostolicae potestatis plenitudine ordinariae iurisdictioni Abbatiae sanctissimae Trinitatis Cavensis addicere et subiicere dignata est, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Mandavit autem Sanctitas Sua, ut documenta praedictum Sanctuarium respicientia, si quae in Cancellaria Episcopali Caputaquensi et Vallensi reperiuntur ad Cancellariam Abbatiae sanctissimae Trinitatis Cavensis transmittantur. Ad executionem autem eorum, quae in praemissis expressa sunt, Sanctitas Sua necessarias et opportunas facultates attribuit reverendissimo Archiepiscopo Salernitano, cum facultate etiam subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum de quo agitur, ac mandavit post tres menses authenticum exemplar actorum peractae exequutionis mitti ad hanc Sacram Con-

gregationem Consistorialem; et inter acta eiusdem Congregationis praesens decretum referri iussit.

Datum Romae, hac die I mensis Iunii anno Domini MDCCCXCVII.

CAROLVS NOCELLA S. C. C. *Secretarius.*

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

AMERICO TIT. SANCTORVM QVATVOR CORONATORVM

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERREIRA DOS SANTOS SILVA

EPISCOPO PORTVGALLIENSI

AD PORTVM CALENSIVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Officium dioecesis tuae in petriana stipe offerenda haud parum dileximus, tum quod voluntates catholicorum istorum Nobis et Apostolicae Sedi devinctos testaretur, tum quod constans demonstrasset in vobis vigere studium angustias Nostras pro modo ac viribus levandi. Sane ea est temporum iniquitas ut Nobis in dies magis fidelium largitati confidere opus sit; eoque amplius conditionem Nostram querimur, quod Ecclesiarum quotidie augentur necessitates, quibus a Christi Vicario paterna caritate est consulendum. Tibi igitur, dilecte fili Noster, fidelibusque universis dioecesis tuae gratias pro merito agimus; easque ut etiam referamus, omnibus qui contulere stipem,

tibique in primis, munerum caelestium ubertatem adprecamur; benevolentiae autem Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Iunii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

A SA MAJESTÉ LA REINE VICTORIA
REINE D'ANGLETERRE ET IMPÉRATRICE DES INDES

MAJESTÉ

Le prestige qui, à tant de titres, entoure le nom de Votre Majesté ne pouvait ne pas engager ses sujets à saisir l'occasion du soixantième anniversaire de Son règne pour Lui offrir l'hommage de leur dévouement et de leur respectueuse admiration. Les Souverains et les gouvernements de tous les pays s'empressent eux aussi de prendre part à ce joyeux anniversaire, et de Notre côté à cette occasion Nous ne saurions Nous abstenir d'exprimer à Votre Majesté nos vœux et nos félicitations. A cet effet Notre Vénérable frère l'Archevêque de Corinthe aura l'honneur de remettre à Votre Majesté cette lettre et de se rendre auprès d'Elle l'interprète de Nos sentiments. Nous prions instamment le Seigneur qu'il daigne conserver Votre Majesté encore pour de longues années, pour le plus grand bien de ses peuples et pour la joie et la consolation de sa Royale Famille. Cette prière Nous est aussi suggérée par un vif sentiment de gratitude envers

Votre Majesté pour la pleine liberté que, dans sa clairvoyante justice, Elle assure aux nombreux catholiques qui Lui sont sujets dans l'ordre temporel. Nous y joignons en outre le vœu ardent de voir se raffermir les rapports entre le Saint Siège et le puissant et glorieux Empire Britannique. C'est par ces vœux et par ces sentiments que Nous aimons Nous trouver auprès de Votre Majesté dans les fêtes, dont Elle va être l'objet.

Rome, du Vatican, le 10 Juin 1897, de Notre Pontificat l'année vingtième.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALOISIO A PARMA

MINORVM FRANCISCALIVM GENERALI MAGISTRO

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In iis, ad quae vix inito Pontificatu animum studiose adiecimus, illud etiam fuit ut piam Tertiariorum Franciscalium sodalitatem, laudibus et hortationibus adhibitis, datisque in eum finem litteris, quam latissime propagaremus. Subibat enim quam uberi fortunatoque exitu sanctissimus vir Franciscus id institutum ad corrigendos mores restituendamque pietatem adhibuisset; quamobrem facile inducebamus animum ut, in tantis aetatis nostrae incommodis, spem sublevationis non exiguam in eo ipso collocaremus. Quo vero, temperata legum severitate, fideles allicerentur acrius ad Tertii Ordinis sodalitatem expetendam, leges ipsas ad naturam temporum novavimus, poenarumque remissiones et privilegia, ut omnis tolleretur dubitandi ratio, nova largiti sumus editoque indice re-

censuimus. — Quae cum ita sint, iucunditate maxima Nos affici necesse fuit, quum, ob impletum vicesimum quintum annum, ex quo Tertio Ordini nomen dedimus, gratulationes ad Nos observantiaeque officia qui sunt ex eodem Ordine undique detulerunt; ex quo colligere datum est quam auctus passim sit numerus Seraphici Patris vestigiis ingredientium, quamque alacer voluntas ad imaginem contendendi sanctissimi auctoris. Accesserunt praeterea, caritatis argumentum, munera petrianae stipis, quam sodales, pro suis quisque viribus, certatim contulerunt, ut angustias levarent quae, ex abreptis civili principatu adiectisque a Deo providente subsidiis, in dies magis Nos premunt. — Haec tu, dilecte fili, grati animi sensa universo Tertiariorum Ordini ut significes volumus; omnesque Nostro nomine hortare ut, quantum quisque potest, in imitationem Francisci Assisiensis se alacrius intendat. Quod ut caelestium gratiarum auxilio uberius eveniat, earumdem auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem tibi totique Tertii Ordinis sodalitati amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Iunii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI LVDOVICO EPISCOPO MASSILIENSI
MASSILIAM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Abrogata, quae toto fere saeculo inoleverat, consuetudine, visum tibi est in mores dioecesis tuae inducere ut pueri, antequam divino Eucharistiae epulo reficiantur, christianum Confirmationis sacramentum, almo inuncti chrismate, suscipiant. Quod utrum Nobis probetur significari tibi desiderasti: placuit autem de re tam praecipua, medio nemine, ad te praescribere et qua simus mente aperire. — Propositum igitur tuum laudamus cummaxime. Quae enim ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constantique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quae, nisi maturrime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in praeceps trahunt. Quamobrem opus habent fideles, vel a teneris,

*indui virtute ex alto,* quam sacramentum Confirmationis gignere natum est; in quo, ut probe notat Angelicus Doctor, Spiritus Sanctus datur ad robur spiritualis pugnae et promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Porro sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores, atque ex suscepta uberiora capiunt emolumenta. — Quare quae a te sapienter sunt constituta optamus ut fideliter perpetueque serventur. — Ut autem de tuo studio, in commissi gregis utilitatibus procurandis, benevolentiae Nostrae testimonium habeas, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universaeque dioecesi tuae amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Iunii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
CYRIACO TIT. SANCTI PETRI IN MONTE AVREO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SANCHA Y HERVAS
ARCHIEPISCOPO VALENTINO
VALENTIAM EDETANORVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod viri catholici iam Romae instituendum curarunt, id quoque in Hispania constitutum feliciter nunciasti: coaluisse nimirum optimae voluntatis homines, qui, Nostris usi praescriptis et hortationibus, quam secta massonum impietatis luem in populo spargere nititur, coniunctis viribus propulsare studeant. Eiusmodi catholicorum consociationes et laudavimus iampridem, datisque litteris fovendas curavimus. Gratulamur igitur tibi, quod coeptis tuis tam praeclare alacrique animo a fidelibus obsecundatum est, Deumque obsecramus ut studia vestra, in hispanae gentis utilitatem, large effuseque fortunet. Quod ut pro optatis cedat, Apostolicam benedictionem, Nostrae etiam caritatis

testem, tibi, dilecte fili Noster, institutaeque consociationi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Iunii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

DE NOVA DELIMITATIONE

DIOECESIVM

LEAVENWORTHIENSIS WICHITENSIS ET CONCORDIENSIS

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, ea Nos pro supremi Apostolatus officio, quo, licet immeriti, fungimur, sedulo studio exequi satagimus. Iamvero cum Venerabiles Fratres Ioannes Iosephus Kain, Archiepiscopus sancti Ludovici in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, et Episcopi eius suffraganei, Nos postulaverint, ut nova fieret delimitatio trium dioecesium existentium in Statu Kansas in eadem provincia ecclesiastica sancti Ludovici, quarum nomina sunt *Leavenworth, Wichita* et *Concordia,* prout revera mutatae earum conditiones exigere videntur; Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei propositis, attentisque rationibus ad id allatis, nec non auditis Episcoporum, ad quos negotium idem pertinet, suffragiis et votis, certaque freti spe id potissimum in

christiani nominis incrementum cessurum, optatis huiusmodi annuendum censuimus. Itaque omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, approbamus praefatarum dioecesium ab Episcopis illius provinciae ecclesiasticae propositam delimitationem, et motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, tribus illis dioecesibus sequentes Comitatus vulgo *Contee,* Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, adsignamus; nimirum dioecesi Leavenworthiensi Comitatus Doniphan, Atchison, Leavenworth, Wyandotte, Johnson, Miami, Linn, Anderson, Franklin, Douglas, Jefferson, Brown, Nemaha, Marshall, Jackson, Pottawatomie, Shawnee, Wabaunsee, Osage, Coffey, Lyon; dioecesi Concordiensi Comitatus Cheyenne, Rawlins, Decatur, Norton, Phillips, Smith, Jewell, Republic, Washington, Riley, Clay, Cloud, Mitchell, Osborne, Rooks, Graham, Sheridan, Thomas, Sherman, Wallace, Logan, Gove, Trego, Ellis, Russell, Lincoln, Ottawa, Ellsworth, Saline, Dickinson, Geary. Tandem dioecesis Wichitensis proprios esse decernimus Comitatus Greeley, Hamilton, Stanton, Morton, Stevens, Grant, Kearney, Wichita, Scott, Finney, Haskell, Seward, Meade, Gray, Lane, Ness, Hodgeman, Ford, Clark, Comanche, Kiowa, Edwards, Pawnee, Rush, Barton, Stafford, Pratt, Barber, Harper, Kingman, Reno, Rice, Mac Pherson, Harvey, Sedgwick, Sumner,

Cowley, Butler, Marion, Morris, Chase, Greenwood, Elk, Chautauqua, Montgomery, Wilson, Woodson, Allen, Neosho, Labette, Cherokee, Crawford, Bourbon. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die I Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO
ALOISIO S. R. E. CARDINALI OREGLIA A SANCTO STEPHANO
EPISCOPO OSTIENSI ET VELITERNO
DECANO SACRI COLLEGII

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libet quidem affari te his litteris, ut est consentaneum dignitati tuae: sed intelligi universe volumus de Venerabilibus Fratribus Cardinalibus atque Episcopis omnibus, quorum praesentia, extremo mense Maio, ad caeremonias sanctissimas gavisi sumus, quique per eam occasionem communes ad Nos litteras dedere plenas officii egregiaeque voluntatis. Certe animum vestrum, Venerabiles Fratres, pulcre cognoveramus cum Nostri cupidum, tum Sedi Apostolicae, uti oportet, deditissimum: gratum tamen est recognovisse. Siquidem magnopere optandum, hoc praesertim tempore, ut idem saepius appareat, scilicet qui in christiana re administranda versantur, eos esse omnes obsequio, caritate mutua, similitudine consiliorum, cum

Pontifice maximo coniunctos, in quo Iesus Christus et potestatis fastigium et principium unitatis collocavit. Qua in re utique vobiscum consentiunt e multitudine christiana longe plurimi; fieri enim non sine divino consilio videmus, ut Apostolicae Sedis tanto plus ex una parte excitetur amor, quanto ex altera est oppugnatio vehementior. Eiusmodi tuendo propagandoque amori popolari, in quo velut initium ac pignus quoddam cernitur salutis futurae, est vehementer opus auctoritate diligentiaque vestra, quam sane constantem fore, ut est, certo scimus. — De reconciliatione orientalium gentium, et quotquot sunt qui nobiscum de fide dissentiunt, valde amavimus pietatem desiderii vestri. Magni omnino operis exituque ardui velut semina iecimus: ea ad maturitatem aliquando perductum iri confidimus auctore Deo, qui Ecclesiam suam unam esse iussit totius complexu generis humani, et cuius in potestate est mortalium animos unde vult deducere, et quo vult, incolumi cuiusque libertate, impellere. Contendite ab eo suppliciter, ut tantam hominum multitudinem revocare ab opinionum errore ad veritatem benigne velit: quantum autem in vobis est, date operam ut conata Nostra adiuvetis per artes omnes christianae caritatis. — Inter incoepta tantarum rerum officiaque cetera quae munus apostolicum comitantur, quotidie magis apparet necesse esse, ut Apostolica Sedes in eam ipsam conditionem, quam divina providentia pepererat, restituatur. Spes Nostras maximas in Deo reposuimus vindice Ecclesiae suae: intereaque, quamdiu ea quae premunt in-

commoda ac difficultates insederint, sine ulla dubitatione perseverabimus vim Pontifici illatam conqueri, et ea, quae libertatis Nostrae tutelam maxime continent, sanctissima iura repetere.

Caelestium munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, populoque et clero vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
GERLANDO EPISCOPO IACIENSI
IACAM REGALEM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quoniam honor episcoporum est honor noster, laeto plane animo accepimus quae nuncia advenerunt de communi celebritate, qua Iaciensis civitas vicesimum quintum episcopatus tui natalem propediem commemorandum censuit. Nos sane, quibus incompertum non est quam assiduam utilemque operam in crediti gregis emolumentum ad hunc diem navaris, de observantis grataeque voluntatis officiis gratulamur tibi. Ut autem, iucundis in hisce adiunctis, benevolentiae Nostrae testimonio ne careas, sacro te pallio, privo munere, ornandum decrevimus. Quia vero, ad fausti diei laetitiam augendam, tertium regionis siculae conventum, Episcopis cohonestantibus, habendum rescivimus; experti probe quantum commodi in religionem et civitatem ex iis coetibus derivetur, caelestium munerum uber-

tatem conventuris omnibus a Deo adprecamur. Tibique, Venerabilis Frater, et Episcopis, qui in coetu aderunt, et universae dioecesi tuae Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

HARTMANNO GRISAR E SOCIETATE IESV

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod opus, de Pontificibus et urbe Roma media aetate labente, scribendum suscepisti, eo feliciter perductum cognovimus, ut bina iam volumina in lucem prodierint. Haec tu, pro observantiae officio, Nobis offerenda curasti. Donum autem pergratum habuimus, tum quod pietatem tuam in Apostolicam Sedem testatur, tum quod opus ipsum acre illud perquirendae veritatis studium prae se fert, quod tempora requirunt. Perge igitur Ecclesiae et Pontifici tuam probare operam. Ut autem ex benevolentia Nostra animum viresque capias, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, amantissime tibi in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# DECRETVM

## DE NOVA FINIVM DESIGNATIONE INTER ARCHIDIOECESIM SANCTI SEBASTIANI FLVMINIS IANVARII ET DIOECESES PETROPOLITANAM ET MARIANNENSEM

—

Ad Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XIII delatae sunt preces, quibus ad opportuniorem rei sacrae procurationem, et ad bonum animarum in Brasiliana regione promovendum pontificia implorabatur auctoritas. In iis precibus postulatum est a Sanctitate Sua, uti limites Archidioecesis sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, et dioecesium Nictheroyensis et Mariannensis in Brasiliana regione iuxta Apostolicas litteras, quarum initium *Ad universos,* die XXVII Aprilis anno MDCCCXCII datas, constituti, pontificia auctoritate immutarentur, et cum civili circumscriptione regionum seu statuum, in quibus praefatae dioeceses existunt, componerentur. Sanctitas Sua, perspecta novae immutationis et circumscriptionis forma, quae proposita fuit, et comperto eam in ecclesiastici regiminis et fidelium utilitatem esse cessuram, utendo facultate, quam in praefatis Apostolicis litteris sibi reservavit, scilicet quamcumque aliam circumscriptionem dioecesium Brasi-

lianarum libere faciendi, si in Domino id opportunum iudicaret, derogato etiam, quatenus opus sit, quorumcumque interesse habentium consensui, benigne oblatis precibus annuendum censuit, iussitque in vota petentium hoc emitti Consistoriale decretum.

I.

In primis itaque Sanctitas Sua limites, qui actu Archidioecesim sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, et dioeceses Nictheroyensem et Mariannensem iuxta Apostolicas litteras die XXVII Aprilis anno MDCCCXCII datas circumscribunt, ad opportuniorem circumscriptionem constituendam de Apostolicae potestatis plenitudine supprimit et extinguit.

II.

His finibus sic extinctis et suppressis, eadem Apostolica auctoritate Sanctitas Sua praefatis dioecesibus eosdem limites assignat et attribuit, quibus uniuscuiusque respective status civilis, ad quem Archidioecesis sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, et Episcopatus tum Nictheroyensis tum Mariannensis pertinent, territorium constat.

III.

Quapropter dioecesis Nictheroyensis modo totum territorium Status Fluminis Ianuarii complectetur, ita ut

civitas et municipium Petropolitanum, deinceps ad ecclesiasticam iurisdictionem dioecesis Nictheroyensis pertineat, ac insuper cives territorii sancti Antonii de Carangola nuncupati ad statum civilem Fluminis Ianuarii pertinentes, qui ab ecclesiastica iurisdictione dioecesis Mariannensis actu pendent, deinceps ab hac separati, iurisdictioni dioecesis Nictheroyensis subiiciantur.

IV.

Mandavit praeterea et constituit Sanctitas Sua ut paroeciae quae in territorio status civilis vulgo Minas Geraes continentur, quaeque ad ecclesiasticam iurisdictionem Archidioecesis sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii huc usque pertinebant, ab ea divisae ac dismembratae, deinceps cum omnibus et singulis in ipsis existentibus dioecesi Mariannensi uniantur et subiiciantur.

V.

Decrevit insuper Sanctitas Sua, et de Apostolicae potestatis plenitudine statuit, praevia dismembratione et separatione ad effectum de quo agitur, ut sedes Archiepiscopalis sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, modo pro sua dioecesi et territorio civitatem tantum et districtum foederalem cum insulis dumtaxat ad ipsum pertinentibus, habeat et complectatur.

VI.

Deinde Sanctitas Sua Cathedram et Sedem Episcopalem iam pro dioecesi Nictheroyensi in civitate Campos dos Goyatacazes, per Apostolicas litteras die XI Februarii anno Domini MDCCCXCV datas, erectam supprimit, et extinguit, omniaque iura et privilegia, quae ad templum Cathedrale ibidem sancto Francisco Assisiensi dicatum ex cathedralitatis causa spectabant, adimit, ademptaque declarat.

VII.

Qua suppressione et extinctione effecta, Sanctitas Sua dignata est ipsam Cathedram et sedem episcopalem transferre et constituere in civitate Petropoli, quae erit caput dioecesis huc usque Nictheroyensis dictae, quaeque in posterum, suppresso nomine dioeceseos Nictheroyensis, Petropolitana nuncupanda erit, ubi actualis Episcopus R. P. D. Franciscus de Rego Maia, Episcopus huc usque dioeceseos Nictheroyensis, dictae nunc Petropolitanae, eiusque legitimi successores resideant, et singula iura officia et munia habeant et exerceant cum suis Capitulo et cathedralibus et pontificalibus, insigniis, praerogativis, gratiis, honoribus, ceterisque omnibus, quibus aliae cathedrales Ecclesiae in Brasilia existentes, earumque Praesules non tamen titulo oneroso aut peculiari indulto fruuntur et gaudent.

VIII.

Executor autem Apostolicus, infra nominandus, designabit Ecclesiam, quae Cathedralis honore decoranda erit, aut Ecclesiam quae ad tempus Cathedralis loco haberi possit, donec ad exitum deducatur molitio novae Ecclesiae, quae in civitate Petropoli aedificatur, si huiusmodi Ecclesia ceteris aliis quoad Cathedralitatem praeferri mereatur.

IX.

Iussit autem Sanctitas Sua, ut ea omnia quibus per praesens decretum derogatum non est, firma ac integra maneant, prout, iuxta Apostolicas litteras de nova sacra hierarchia in Brasilia constituenda, ex decreto Consistoriali, die XXVII Aprilis anno MDCCCXCII edito, constituta fuere.

X.

Omnia autem ecclesiastica documenta, quae respiciunt paroecias et loca, tum Archidioeceseos sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, tum dioecesium Petropolitanae iam Nicteroyensis, et Mariannensis, a cancellariis respectivarum Sedium Episcopalium extrahantur, et custodienda tradantur cancellariis uniuscuiusque dioeceseos, cui ea loca ex Apostolica auctoritate praesenti decreto adscripta et attributa sunt.

XI.

In executorem autem super praesentibus Sanctitas Sua benigne deputare dignata est R. D. Ioannem Baptistam Guidi, negotiorum ecclesiasticorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, eidemque facultates omnes et necessarias et opportunas contulit, ut per se, aut per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab ipso subdelegandam ad praemissorum executionem procedat, cum facultate etiam eidem executori, vel ab eo subdelegando definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura.

XII.

Eidem executori iniungitur a Sanctitate Sua, ut in relativis actibus executionis conficiendis, singillatim describat et declaret nomina et limites omnium paroeciarum, quae cuique ex memoratis tribus dioecesibus hac nova circumscriptione ex Apostolica auctoritate respective assignantur et attribuuntur, et intra sex menses ab executione peracta ad Sacram Congregationem Consistorialem mittat exemplum, authentica forma exaratum, decretorum omnium, quae in hanc rem erit emissurus.

XIII.

Mandavit demum Sanctitas Sua hoc consistoriale decretum expediri, valiturum ac si litterae Apostolicae de-

super emissae fuissent, et referri inter acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XVI mensis Iulii anno Domini MDCCCXCVII.

CAROLVS NOCELLA S. C. C. *Secretarius.*

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
VINCENTIO EPISCOPO CALLIPOLITANO
ADMINISTRATORI APOSTOLICO
DITIONIS TICINENSIS
LVCANVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae Februario mense superiore, missis ad te litteris, consilia concordiae et pacis catholicis ticinensibus dedimus, ea prono animo et obsequenti voluntate fideles istos plerosque omnes sequutos esse magnopere laetati sumus. Ast, quod in humanis usuvenit, quia non eadem sunt omnibus iudicia rerum, nondum amor pacis usque adeo valuit, ut quaecumque adsunt discordiarum elementa aboleverit penitus. Id sane quam male vertat utilitatibus vestris nemo est qui non videat; ubi enim studia in contraria scinduntur, vires magnam partem dilabi necesse est. Quum igitur diebus proximis Piana consociatio communem coetum Balernae sit habitura, visum est catholicos

homines iterum hortari ut id contendant maxime ut, quoquo pacto compositis dissensionibus, sint cor unum et anima una, eamque in te praeferant observantiam, quae membra in caput, gregem in pastorem decet. Hoc si cedat, nihil est quod catholici ticinenses gratius Nobis fecerint, nihil quo sibi benevolentiam Nostram largius demerebunt. Huius interim benevolentiae testis et munerum divinorum auspex sit Apostolica benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, Balernensi coetui ac fidelibus universis tuae vigilantiae creditis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DIOECESIS ZVLIENSIS
IN REPVBLICA DE VENEZVELA
ERIGITVR

—

## LEO EPISCOPVS
### SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Supremum catholicam Ecclesiam regendi munus, quo divina dispositione fungimur, illud in primis postulat, ut id omne quod commissarum Nobis animarum bono ac spirituali utilitati conducit omni studio procurare satagamus. Maxima igitur animi Nostri voluptate et consolatione nuper recepimus preces ex parte dilecti Nobis in Christo filii perillustris viri Ioachimi Crespo moderni Reipublicae de Venezuela Praesidis Nobis allatas, quibus ipse, suo et christifidelium in illa regione degentium nomine, ab Apostolica hac Sede postulabat, ut, dismembrata ac divulsa congrua territorii parte a perampla Emeritensi dioecesi, nova inde Episcopalis Sedes constitueretur. Et Nos quidem probe considerantes quod facilis populorum cum Episcopis communicatio spirituali illorum animarum bono

atque utilitati summopere prodest, praedictis supplicationibus pronas aures praebere non detrectavimus. Cum itaque Venerabilis Frater Noster hodiernus Episcopus Emeritensis, e cuius dioecesis dismembratione infrascripti novi Episcopatus erectio est statuenda, ultro libenterque ad hoc suum plenum consensum praestiterit, itemque alii quorum intererat, in id consenserint, cunctis quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt maturo studio ac deliberatione perpensis, nec non omnes et singulos, quibus praesentes litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, totum statum civilem Zuliae nuncupatum ab Emeritensi dioecesi, ad quam actu pertinet, una cum omnibus ibi existentibus oppidis, pagis, ruribus eorumque territoriis, atque utriusque sexus incolis, tam laicis, quam clericis, presbyteris, religiosis (non tamen exemptis), ecclesiis, oratoriis, beneficiis, piis institutis et ceteris accessoriis, Apostolica auctoritate perpetuo disiungimus et dismembramus, atque ab ordinaria praefati moderni, et pro tempore existentis, Emeritensis Antistitis et Canonicorum Cathedralium iurisdictione ac spirituali dominio et superioritate omnino et perpetuo eximimus et liberamus. Ex ipso vero statu civili, ut supra, disiuncto et dismembrato una cum suis respective accessoriis inhae-

rentibus, et de more concomitantibus, novam, separatam et distinctam dioecesim pro novo, ut inferius, erigendo Episcopatu Zuliensi nuncupando, cuiusque fines iidem prorsus sint ac fines dicti status civilis Zuliae, iuxta territorialem circumscriptionem quae ex lege civili est constituta, simili Apostolica auctoritate perpetuo efformamus. Civitatem autem Maracaibo, quae princeps et caput ipsius status civilis existit, ad civitatis episcopalis fastigium eadem auctoritate evehimus atque attollimus; fruituram deinceps omnibus et singulis iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae in Republica de Venezuela civitates, Episcopali Sede insignitae, earumque cives utuntur et gaudent. Praeterea Ecclesiam in eadem civitate Maracaibo existentem et honori beatorum Apostolorum Petri et Pauli dicatam, ad Cathedralitatis statum et dignitatem, ita ut ipsa, retenta pristina invocatione, omnibus iuribus, privilegiis et honoribus, quibus aliae in eadem Republica de Venezuela Ecclesiae Cathedrales fruuntur, pariter et absque ulla prorsus differentia fruatur, pari Apostolica auctoritate evehimus atque erigimus. Et in hac Ecclesia sedem, cathedram et dignitatem episcopales pro uno deinceps Episcopo, Zuliensi nuncupando, qui dictae Ecclesiae, civitati et dioecesi, eiusque pariter clero et populo in Domino praesit, Synodum convocet, et omnia iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat, cum suis mensa episcopali, capitulo, arca, sigillo, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, iurisdictionibus, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus

et mixtis, quibus aliae in memorata Republica de Venezuela existentes Cathedrales Ecclesiae, eorumque Praesules (non tamen ex indulto peculiari, aut titulo oneroso) gaudent et gaudere poterunt, simili auctoritate perpetuo ponimus et instituimus. Hanc tamen Zuliensem Ecclesiam, noviter ut supra erectam, suffraganeam pro tempore existentis Archiepiscopi sancti Iacobi de Venezuela declaramus, atque eiusdem Archiepiscopi metropolitico iuri subiicimus. Iamvero quod pertinet ad annua pecuniae subsidia, quibus nova Zuliensis Ecclesia pro sua mensa et dote necessario indiget, quum gubernium foederatorum statuum de Venezuela sese obstrinxerit ad suppeditandam eidem Ecclesiae pro sua dote eamdem annuam pecuniae summam, qua ceterae dioeceses praefatae Reipublicae ex publico aerario fruuntur et gaudent, praedictam summam memoratae Zuliensi Ecclesiae eiusque Ordinario et mensae Episcopali, ut eiusdem novae dioecesis necessitatibus et decori rite consultum sit, pro sua dote perpetuo constituimus et assignamus. Quoniam autem divini cultus decus maxime Nobis cordi esse debeat, novi futuri Episcopi sollicitudini iniungimus, ut Cathedrale Capitulum, iuxta canonicas regulas, cum primum fieri potest, erigendum curet, servato in omnibus canonicorum numero, servatisque iisdem dignitatibus aliarum Cathedralium Ecclesiarum in memorata ditione existentium. Interim vero donec dictum Capitulum canonice constitutum fuerit, Zuliensis Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet, et eorum prudentiae adiumento in

maioribus suae dioecesis negotiis expediendis utetur. Dicto vero Capitulo, ubi primum ipsum fuerit canonice constitutum, ut statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum Canonum et praecipue Tridentini Concilii praescriptiones conficere sibi valeat, quae tamen Ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi, ut legis vim habeant et efficaciam, erunt subiicienda, facultatem facimus et impertimus, eidemque insuper Capitulo, ut etiam omnibus privilegiis, iuribus, favoribus et gratiis, quibus alia pariter aliarum Cathedralium Ecclesiarum superius memoratae Reipublicae Capitula utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent (iis tamen exceptis ex peculiari indulto concessis, vel titulo oneroso acquisitis), similiter uti, frui, potiri et gaudere possit et valeat, perpetuo concedimus et indulgemus. Praeterea, cum pro excolenda vinea Domini necessarium sit ut sacerdotum numerus augeatur, ad quod Seminaria summopere conducere experientiâ patet, volumus quod novus Episcopus, cum fieri poterit, impigram impendat operam ad dioecesanum Seminarium erigendum, iuxta memorati Concilii Tridentini praescripta, in quo a iuvenilibus annis clerici, in bonum spirituale novae dioecesis, ad pietatem et sacram doctrinam apte instituantur. Porro omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia paroecias et loca novae dioecesi Zuliensi addicta, quae actu reperiuntur in Cancellaria praefati Episcopi Emeritensis, ab hac extrahi praecipimus, et Cancellariae noviter, ut praefertur, erecti Episcopatus Zuliensis tradi, ut in ea perpetuo adserventur. Insuper Nobis et Apostolicae Sedi expresse

reservamus facultatem et ius praefatae novae dioecesis dismembrationem, seu novam circumscriptionem libere ineundi, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Zuliensis Antistitis et Capituli Cathedralis assensum exquiri, seu territorialem ullam compensationem constitui et attribui opus sit. Canonicam autem taxam memoratae Zuliensis Ecclesiae, habita ratione conditionis temporum, in florenis auri triginta tribus cum tertia floreni similis parte constituimus, atque ita in libris Camerae Apostolicae de more inscribi mandamus. Ceterum volumus ut ea omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt et quorum expressa mentio in praesentibus litteris facta non est, firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam remaneant; quod si qua difficultas aut controversia quoad praemissa in noviter erecta Zuliensi dioecesi oriatur, ea ad hanc Apostolicam Sedem erit deferenda, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet. Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa quantumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quopiam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorum-

que aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore, vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali, quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario forent exprimenda, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque litteras, et Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas editas vel edendas, minime comprehendi, vel confundi, seu comprehensas, aut confusas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictae-

que Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca ut haec omnia a Nobis superius constituta suum plenum sortiantur effectum, Venerabili etiam Fratri Nostro Iulio Tonti moderno Archiepiscopo Portus Principis, Nostro Delegato Apostolico et Legato extraordinario apud praefatam Rempublicam de Venezuela, per ipsas praesentes committimus atque mandamus, ut ipse ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, omnes et singulas ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, facta insuper eidem potestate alteram probam idoneamque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi, ita tamen ut ipse Iulius Archiepiscopus, vel eius Subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium prae-

missorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Iulius Archiepiscopus infra sex menses authenticum exemplar actorum omnium, quae ad commissam exequutionem explendam ipse erit emissurus, ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur. Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. — Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, disiunctionis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, efformationis, evectio-

nis, elationis, erectionis, positionis, institutionis, declarationis, subiectionis, constitutionis, assignationis, iniunctionis, facultatis, impertitionis, concessionis, indulti, praecepti, reservationis, constitutionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, quinto calendas Augusti, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

# LITTERAE APOSTOLICAE

DE CENTENARIIS SOLLEMNIBVS
SANCTI LVDOVICI ARCHIEPISCOPI TOLOSANI

—

## LEO PP. XIII

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Suavi quodam iucunditatis sensu animum Nostrum perfundit nuntius qui Nobis affertur, Carpineti singulari studio et pietatis significatione sollemnia apparari ob memoriam sancti Ludovici Archiepiscopi Tolosani, sexto abeunte saeculo post quam ille regio sanguine clarus, vitae sanctitate clarissimus, a mortali hoc aevo ad immortale ac beatum demigravit. Optimo sane consilio maiores Nostri illum sibi posterisque suis Patronum caelestem cooptarunt, qui quum fuerit, dum vixit, omnis virtutis exemplar, haberent ipsi quem sibi ad imitandum proponerent, et quum plurimum valeat nunc gratiâ apud Deum, haberent custodem et vindicem, quem possent in omni vitae discrimine ad defendendum invocare. Neque semel gens Nostra novit planeque sensit, se in fide et clientela sancti Ludovici esse; magnorum enim est vis beneficiorum, quae ille in Nostrum genus omni tempore contulit,

quorum quidem beneficiorum neque interibit apud Nos memoria, neque gratia consenescet. Ex quibus illud placet commemorare, quod maximi fit apud Nostros, et cuius extat quasi mnemosynon, continuatio seriesque nominis Ludovici et festum quod peragitur quotannis ad sancti Petri Patrum ex Ordine sancti Francisci Reformatorum. Proditum memoriae est, avos Nostros sterili coniugio quartum iam annum devinctos, miro prolis desiderio fuisse incensos, quam ut susciperent, sollicita prece caelestem Patronum suum Ludovicum ambierunt. Exacto nondum anno, voti compotes facti prole gavisi sunt mascula, Parente Nostro, cui Ludovici nomen est inditum. Neque ignota quidem neque nova municipibus Carpineti est observantia, qua domus Nostra ab avis et proavis sanctum Ludovicum reveretur et colit, atque ideo probe sciunt Nobis potissimum et genti Nostrae, quum illi honores indixerint, se gratum acceptumque facturos. Quapropter hoc etiam nomine huiusmodi sollemnia Nos non mediocriter delectant, quibus quidem volumus per Nos etiam accessionem aliquam fieri ornamenti et decoris. Quumque Nobis, summo Dei concessu et munere, gratiarum caelestium creditus sit thesaurus, illum in hisce sollemnibus ad bonum spirituale christianorum aperiendum censuimus. Neminem enim latet honores qui beatis caelitibus deferuntur, eo illis gratiores esse atque acceptiores, quo magis sunt iis qui deferunt, fructuosi. Quare ut honores qui Carpineti sunt sancto Ludovico habendi, optatiores illi sint, et christiani omnes ex sollemnibus, quae peragent, possint laetos uberesque

demetere et percipere fructus, Nos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui die trigesimo mensis Augusti, quo festum saeculare celebrabitur, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, templum sancti Petri Patrum ex ordine sancti Francisci Reformatorum devote visitaverint, atque ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quum vero ante dictum festum sollemnis supplicatio in triduum habenda sit, Nos iisdem fidelibus corde saltem contritis, qui quolibet die ex tribus diebus memoratae supplicationi interfuerint, atque ut supra dictum est oraverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus christifidelium quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse largimur. Praesentibus valituris hoc anno tantum.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
OCEANIAE INSVLAE « GILBERT » NVNCVPATAE
VNA CVM ALIIS INSVLIS
IN VICARIATVM APOSTOLICVM CONSTITVVNTVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad supremum Apostolatus apicem meritis licet imparibus evecti, peculiares ad eas partes dominici gregis curas Nostras intendimus, quae longo terrarum marisque tractu seiunctae spiritualibus subsidiis magis indigere videntur. Cum vero in insulis Oceaniae « Gilbert » nuncupatis, quae Vicariatus Apostolici Micronesiae, iam inde ab anno MDCCCXLIV erecti, partem constituunt, Christi religio, adlaborantibus Missionariis e Congregatione sacratissimi Cordis de Issoudun felicia incrementa postremis his annis susceperit, et uberiorum etiam fructuum spes effulgeat; Nos, quo in eadem regione christianae fidei dilatatio magis magisque provehatur, omnibus cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis sedulo perpensis, motu proprio, certa scientia, ac matura deli-

beratione Nostra praedictas insulas « Gilbert » a Vicariatu Micronesiae auctoritate Nostra praesentium tenore separamus, easque ita seiunctas cum additis insuper insulis « Hellice » nuncupatis, nec non aliis duabus insulis, quae Pleasant et Ocean respective nominantur, in Vicariatum Apostolicum peculiarem, cui nomen est insularum Gilbert, erigimus et constituimus. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, nec non dicti Vicariatus Apostolici, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque speciali licet et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
EVTHITIO EPISCOPO BALNEOREGIENSI
BALNEOREGIVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod patriae caritas et religionis decus exigere videbatur, id iam feliciter impletum est: Bonaventurae civi sanctissimo et catholicis nominis ornamento statuam, loco publice dato collatoque studio atque aere, stare voluistis. Quod vero officiosissimae in Nos voluntati vestrae tribuimus, habitum Patrono caelesti honorem quinquagesimi episcopatus Nostri natalis memoriam simul esse placuit. De perfecto secundissime opere gratulamur vobis; de delato autem officio gratias rependimus, id vobis adprecati ex animo, ut sanctissimi civis effigies retinendae fidei et fovendae pietatis monumento sit. Quod ut, opitulante Deo, uberrime eveniat, tibi, Venerabilis Frater, clero populo-

que tuo Apostolicam benedictionem, praecipuae Nostrae benevolentiae testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

VICTORI EPISCOPO LEODIENSI

LEODIVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Leodiensis dioecesis fideles quam sincera Nobis actuosaque pietate devincti essent assiduis praeclarisque testimoniis exploratum erat; nuper vero, ampla submissa stipe ad Sedis Apostolicae angustias levandas, iterum comprobatum est. Id Nos propensissimae voluntatis officium quam penitus diligamus, haud multis prosequi necesse est; eoque gratius habemus quod Belgarum gentem ex veteri consuetudine adamamus cummaxime, iucundumque accidit mutua caritatis exhiberi argumenta. Tu igitur, Venerabilis Frater, fidelibus tuae vigilantiae creditis et gratias a Nobis agito et benevolentiam, Nostram testare. Quod autem de aurea corona expostulasti, auctoritate Nostra Iconi Deiparae imponenda, quae Cortenboschii colitur, secundissimam voluntatem Nostram per Venerabilem Fratrem Fe-

licem Mariam Archiepiscopum Melitenensem iam tibi significavimus. Quem quidem honorem, magnae Genitrici Dei adhibitum, plurimum fidelium pietati et eiusdem Dei Matris tutelae vobis conciliandae profuturum confidimus. Idque ut abunde cedat, et munerum divinorum ubertate augeamini, tibi, Venerabilis Frater, clero ac populo universo dioecesis tuae Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO TIT. SANCTI BERNARDI IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SARTO
PATRIARCHAE VENETIARVM
VENETIAS

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communis omnium laetitia est, catholicorum pietatem et alacre christianae rei vindicandae tuendaeque studium ubique refervere in dies, eo italicarum gentium bono, quod ex reverentia legum divinarum et religionum sanctissimarum observantia gigni ratione atque experientia comprobatum est. — Nobis autem auspicatus is animorum ardor eo accidit iucunditatis plenior, quod, non temere fortuitoque conceptus, sed iis videtur caussis excitus, quae et sincerum demonstrant nec facile consessurum promittunt. Nam, praeter cetera quae ad commovendas voluntates plurimum possunt, providentissimo Dei instinctu factum videmus ut hac tempestate nostra, qua, vi gliscentium errorum rerumque fluxarum immodica cupiditate,

refrixit multorum caritas, sacrosanctae Eucharistiae, insueto retro temporibus incremento, religio invaluerit. Huic autem Sacramento augusto, in quo Christus ipse substantialiter continetur suaeque adest Ecclesiae, ignis ille suppositus est, quem nostri generis Servator venit mittere in terras nec avet magis quam ut accendatur. Quamdiu ergo Eucharistiae honor habebitur, inque eam vigebit pietas, tamdiu necesse est inflammari animos et ad quaeque optima incitari. — His Nos de caussis invectum noviter eucharisticorum coetuum cogendorum morem laudando exhortandoque promovendum curavimus; nec delectati sumus exigue quum tu, dilecte fili Noster, ad Nos retulisti de conventu eiusmodi, haud ita multo post Venetiis habendo. De quo spem bonam fiduciamque iniicit Episcoporum commune studium et concors fidelium voluntas; fructusque laetos portendunt quae sapienti consilio agitanda in coetu ipso constituistis. — Nobis igitur hoc unum superest ut universis qui in eo aderunt divinorum munerum ubertatem adprecemur, quo fausta cuncta ac felicia ad Iesu Christi honorem pietatisque incrementum cedant. Horum autem bonorum auspicem, Nostraeque simul benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem esse volumus, quam tibi, Episcopis ac fidelibus qui ad coetum convenient, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Iulii MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS
AVSTRIAE GERMANIAE HELVETIORVM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Militantis Ecclesiae suadet utilitas, non minus quam decus, ut quos excellens virtus ac pietas altius evexit ad gloriam triumphantis, eorum solemni ritu saepius memoria instauretur. Per has enim honoris significationes antiquae subit recordatio sanctitatis, opportuna illa quidem semper, infestis autem virtuti ac fidei temporibus saluberrima. Ac praesenti quoque anno divinae providentiae beneficio fit, ut de expleto saeculo tertio ab obitu *Petri Canisii,* viri sanctissimi, laetari Nobis liceat, nihil magis pensi habentibus quam ut iis artibus excitentur bonorum animi, quibus per eum virum tam feliciter christianae reipublicae consultum fuit. Refert enim praesens aetas similitudines quasdam eius temporis, in quod incidit Canisius, quum novarum rerum cupidinem et liberioris doctrinae cursum ingens iactura fidei sequeretur mo-

rumque perversitas. Utramque pestem, quum a ceteris omnibus, tum impensius a iuventute propulsandam curavit alter ille post Bonifacium Germaniae Apostolus, neque solum opportunis concionibus aut disputandi subtilitate, sed scholis praesertim institutis editisque optimis libris. Cuius praeclara exempla sequuti multi etiam de vestra gente impigri homines iisdemque usi armis contra genus hostium minime rude, nunquam destiterunt ad religionis praesidium ac dignitatem, nobilissimas quasque disciplinas tueri, omnem honestarum artium cultum incenso animo persequi, libentibus ac probantibus Romanis Pontificibus, quibus solertissima semper cura fuit ut litterarum staret antiqua maiestas, et humanitas omnis nova in dies incrementa susciperet. Neque vos latet, Venerabiles Fratres, si quid Nobis ipsis maxime cordi fuit, id spectasse adolescentiam recte ac salubriter instituendam, cui rei certe, quantum licuit, ubicumque prospeximus. Nunc vero praesenti utimur occasione libenter, Petri Canisii strenui ducis exemplum ob oculos ponentes iis qui in Ecclesiae castris militant Christo, ut, quum secum reputaverint iustitiae armis arma consocianda esse doctrinae, causam religionis acrius tueri possint atque felicius.

Quanti negotii munus susceperit vir catholicae fidei retinentissimus, proposita sibi causâ rei sacrae et civilis, facile occurrit Germaniae faciem intuentibus sub initia rebellionis lutheranae. Immutatis moribus atque in dies magis collabentibus, facilis ad errorem aditus fuit; error autem ipse ruinam morum ultimam maturavit. Hinc

sensim plures a catholica fide desciscere; mox pervagari malum virus provincias fere universas; tum omnis conditionis fortunaeque homines inficere, adeo ut multorum animis opinio insideret causam religionis in illo imperio ad extrema esse deductam, morboque curando vix quidquam superesse remedii. Atque actum plane de summis rebus erat, nisi praesenti ope Deus adstitisset. Supererant quidem in Germania viri antiquae fidei, doctrina et religionis studio conspicui; supererant principes domus Bavaricae et Austriacae imprimisque rex romanorum Ferdinandus, eius nominis primus, quibus firmum erat rem catholicam totis viribus tueri atque defendere. At novum longeque validissimum periclitanti Germaniae subsidium addidit Deus, opportune natam ea tempestate Loyolaei Patris societatem, cui primus inter Germanos nomen dedit Petrus Canisius. — Huc profecto non attinet singula persequi de hoc viro eximiae sanctitatis; quo studio patriam dissidiis ac seditionibus laceratam curaverit ad animorum consensionem et veterem concordiam revocare, quo ardore cum erroris magistris in disputationis certamen venerit, quibus concionibus animos excitaverit, quas molestias tulerit, quot regiones peragrarit, quam graves legationes fidei causâ susceperit. Verum, ut ad arma illa doctrinae animum referamus, quam ea constanter tractavit, quam apte, quam prudenter, quam opportune! Qui quum Messana reversus esset, quo se contulerat dicendi magister, mox sacris disciplinis tradendis in Coloniae, Ingoldstadii, Viennae Academiis egregiam operam dedit, in

quibus regiam tenens viam probatorum scholae christianae doctorum, theologiae *scholasticae* magnitudinem Germanorum animis aperuit. A qua quum fidei hostes eo tempore summopere abhorrerent, quod eâ catholica veritas fulciretur maxime, hanc scilicet studiorum rationem instaurandam curavit publice in lyceis atque in collegiis Societatis Iesu, quibus ipse excitandis tantum operae industriaeque contulerat. Neque eumdem a sapientiae fastigio puduit ad litterarum initia descendere et pueros erudiendos suscipere, scriptis etiam in eorum usum litterariis libris atque grammaticis. Quemadmodum vero a principum aulis, ad quos orationes habuisset, saepe redibat concionaturus ad populum, ita, quum maiora scripsisset, sive de controversiis sive de moribus, componendis libellis manum admovebat, qui aut populi roborarent fidem, aut pietatem excitarent atque foverent. Mirum autem quantum in eam rem profuit, ne errorum laqueis imperiti caperentur, edita ab ipso catholicae doctrinae Summa, densum opus ac pressum, nitore latino excellens, Ecclesiae Patrum stylo non indignum. Huic praeclaro operi, quod in omnibus paene Europae regnis ingenti plausu a doctis exceptum est, mole cedunt, non utilitate, celebratissimi duo illi *catechismi*, in rudiorum usum a beato viro conscripti, alter imbuendis religione pueris, alter erudiendis ipsâ adolescentibus, qui in litterarum studio versarentur. Uterque, ubi primum editus est, tantam catholicorum iniit gratiam, ut omnium fere manibus tereretur qui christianae veritatis elementa traderent, neque in scholis tantum,

veluti lac pueris sugendum, adhiberetur, sed publice in communem utilitatem explicaretur in templis. Quo factum est ut Canisius per annos tercentos communis catholicorum Germaniae magister habitus fuerit, utque in populari sermone duo haec plane idem sonarent, Canisium nosse ac veritatem christianam retinere.

Haec viri sanctissimi documenta ineundam bonis omnibus viam indicant satis. Novimus quidem, Venerabiles Fratres, hanc vestrae gentis laudem esse praeclaram, ut ingenio studiisque ad patrium decus provehendum, ad privata et publica commoda procuranda sapienter utamini ac felicissime. Verum interest plurimum, quidquid sapientum ac bonorum est inter vos, pro religione conniti strenue; ad ipsius ornamentum atque praesidium omne ingenii lumen, omnes litteraturae nervos referre; eodemque consilio quidquid ubique benevertat sive artis incremento sive doctrinae arripere statim et cognitione complecti. Etenim si fuit unquam aetas, quae, ad rei catholicae defensionem, doctrinae atque eruditionis copiam maxime postularet, ea profecto nostra aetas est, in qua celerior quidam ad omnem humanitatem cursus occasionem aliquando praebet impugnandae fidei christiani nominis hostibus. Pares igitur vires afferendae sunt ad horum impetum excipiendum; praeoccupandus locus; extorquenda e manibus arma, quibus nituntur foedus omne inter divina et humana abrumpere. Catholicis viris ita animo comparatis atque uti decet instructis plane licebit re ipsa ostendere, fidem divinam, non modo a cultu huma-

nitatis nullatenus abhorrere, sed eius esse veluti culmen atque fastigium; eamdem, in iis etiam quae longe dissita aut inter se repugnantia videantur, tam amice posse cum philosophia componi et consociari, ut altera alterius luce magis magisque collustretur: naturam, non hostem, sed comitem esse atque administram religionis; huius haustu non modo omnis generis cognitionem ditescere, sed plurimum roboris ac vitae litteris etiam ceterisque artibus provenire. Quantum autem sacris doctrinis ornamenti ac dignitatis accedat ex profanis ipsis disciplinis, facile intelligi potest cui hominum natura cognita sit, pronior ad ea, quae sensus iucunde permoveant. Quare apud gentes quae prae ceteris humanitate commendantur, vix ulla fiducia est rudi sapientiae, eaque negliguntur maxime a doctis, quae nullam speciem formamque praeseferant. *Sapientibus* autem *debitores sumus* non minus quam *insipientibus,* ita ut cum illis in acie stare, hos debeamus labantes erigere ac confirmare.

Atque hic sane campus Ecclesiae patuit latissime. Nam, ubi primum post diuturnas caedes rediit animus, quam fidem viri fortissimi sanguine obsignaverant, eamdem doctissimi homines ingenio suo et scientia illustrarunt. In hanc laudem primum conspiravere Patres, iis quidem lacertis, ut fieri nihil posset valentius; voce autem plerumque erudita et romanis graecisque auribus digna. Quorum doctrinae eloquentiaeque quasi aculeis excitati complures deinde impetum omnem in sacrarum rerum studia coniecerunt, atque tam amplum chri-

stianae sapientiae quasi patrimonium collegerunt, in quo quavis aetate ceteris Ecclesiae homines invenirent unde aut veteres superstitiones evellerent, aut nova errorum portenta subverterent. Hanc vero uberem doctorum copiam nulla non aetas effudit, ne illa quidem excepta quum pulcherrima quaeque, barbarorum obnoxia rapinis, ad neglectum atque oblivionem recidissent; ita ut si antiqua illa humanae mentis manusque miracula, si res quae olim apud romanos aut graecos summo in honore erant, non penitus exciderunt, totum id acceptum Ecclesiae labori atque industriae sit referendum.

Quod si tantum religioni lumen accedit ex doctrinae studiis atque artium, profecto qui totos se in his collocarunt adhibeant opus est non modo cogitandi, verum etiam agendi solertiam, ne ipsorum solivaga cognitio et ieiuna videatur. Sua igitur docti studia ad christianae reipublicae utilitatem, privatumque otium ad commune negotium conferentes efficiant, ut sua ipsorum cognitio, non inchoata quodammodo videatur, sed cum rerum actione coniuncta. Haec autem actio in iuventute instituenda maxime cernitur; quae quidem tanti negotii res est, ut partem laboris et curarum postulet maximam. Quamobrem vos in primis vehementer hortamur, Venerabiles Fratres, ut scholis in fidei integritate retinendis, aut ad ipsam, si opus fuerit, revocandis sedulo advigiletis, sive quae a maioribus institutae, sive quae conditae recentius fuerunt, nec pueriles tantum, sed etiam quas medias et quas academicas vocant. Ceteri autem

e vestris regionibus catholici id in primis nitantur atque efficiant, ut in institutione adolescentium sua parentibus, sua Ecclesiae iura sarta tectaque sint. — Qua in re haec potissimum curanda. Primum, ut catholici scholas, praesertim puerorum, non mixtas habeant, sed ubique proprias, magistrique deligantur optimi ac probatissimi. Plena enim periculi est ea disciplina, in qua aut corrupta sit, aut nulla religio, quod alterum in scholis, quas diximus mixtas, saepe videmus contingere. Nec facile quisquam in animum inducat impune posse pietatem a doctrina seiungi. Etenim si nulla vitae pars, neque publicis neque privatis in rebus vacare officio religionis potest, multo minus arcenda ab eo officio est aetas et consilii expers, et ingenio fervida, et inter tot corruptelarum illecebras constituta. Igitur qui rerum cognitionem sic instituat, ut nihil habeat cum religione coniunctum, is germina ipsa pulchri honestique corrumpet, is non patriae praesidium, sed humani generis pestem ac perniciem parabit. Quid enim, Deo sublato, adolescentes poterit aut in officio retinere, aut iam a recta virtutis semita devios et in praerupta vitiorum praecipites revocare?

Necesse deinde est non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem christianae pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic halitus non doctorum animos ac discentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates; damna saepe consequentur haud exigua. Habent enim fere sua quaeque pericula disciplinae, eaque vitari vix ab ado-

lescentibus poterunt, nisi fraena quaedam divina eorum mentibus atque animis iniiciantur. Cavendum igitur maxime, ne illud, quod caput est, iustitiae cultus ac pietatis, secundas partes obtineat; ne constricta iuventus iis tantummodo rebus, quae sub oculos cadunt, omnes nervos virtutis elidat; ne dum praeceptores laboriosae doctrinae fastidia ferunt et syllabas apicesque rimantur, minime sint de vera illa sapientia solliciti, cuius *initium timor Domini,* et cuius praeceptis in omnes partes usus vitae conformari debet. Multarum igitur rerum cognitio adiunctam habeat excolendi animi curam; omnem autem disciplinam, quaevis denique ea sit, religio penitus informet ac dominetur, eademque maiestate sua ac suavitate ita percellat, ut in adolescentium animis quasi aculeos relinquat.

Quandoquidem vero id Ecclesiae semper propositum fuerit, ut omnia studiorum genera ad religiosam iuvenum institutionem maxime referrentur, necesse est huic disciplinae non modo suum esse locum, eumque praecipuum, sed magisterio tam gravi fungi neminem, qui non fuerit ad id muneris idoneus ipsius Ecclesiae iudicio et auctoritate probatus.

Verum non a puerorum tantum scholis postulat sua iura religio. Fuit tempus illud, quum legibus cuiusque Academiae, imprimisque Parisiensis, cautum erat, ut studia omnia ita se theologiae accommodarent, ut nemo iudicaretur ad sapientiae fastigium pervenisse, nisi eius disciplinae lauream adeptus. Augustalis autem aevi in-

staurator Leo decimus, ceterique ab illo Pontifices Decessores Nostri, romanum athenaeum aliasque studiorum, quas vocant, universitates, quum impia bella in religionem arderent, firmas velut arces esse voluere, ubi, ductu auspicioque christianae sapientiae, iuvenes docerentur. Eiusmodi studiorum ratio, quae Deo rebusque sacris primas deferebat, fructus tulit haud mediocres; certe illud effecit, ut sic instituti adolescentes melius in officio continerentur. Haec in vobis etiam fortuna iterabitur, si viribus omnibus contendetis, ut in scholis, quas medias vocant, in gymnasiis, lyceis, academiis sua religioni iura serventur. — Neque tamen id excidat unquam, consilia vel optima ad irritum cadere et inanem laborem suscipi, si animorum consensio desideretur atque in agendo concordia. Quid enim efficient bonorum divisae vires adversus coniunctum impetum hostium? Aut quid singulorum proderit virtus, ubi nulla sit communis disciplina? Quare vehementer hortamur, ut, remotis importunis controversiis partiumque contentionibus, quae facile animos dissociare possunt, de curando Ecclesiae bono omnes uno ore consentiant, collatis viribus in id unum conspirent ac eamdem afferant voluntatem, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* [1].

Haec suasit ut moneremus sanctissimi hominis memoria et recordatio; cuius utinam praeclara exempla in animis haereant, excitentque eius amorem sapientiae, quae

[1] Ad Eph. IV, 3.

a curanda hominum salute et Ecclesiae dignitate tuenda nunquam recedat. Confidimus autem, vos, Venerabiles Fratres, quae vestra prae ceteris sollicitudo est, socios et consortes habituros gloriosi laboris e viris doctissimis quamplurimos. Sed rem nobilem, quasi in suo sinu positam, praestare ii poterunt maxime, quicumque praeclaro muneri instituendae iuventutis sunt Dei providentia praepositi. Qui, si illud meminerint, quod veteribus placuit, scientiam, quae remota sit ab iustitia, calliditatem potius quam sapientiam esse appellandam, aut melius, si animo defixerint quod Sacrae Litterae affirmant, *vani sunt... omnes homines, in quibus non subest scientia Dei* [1], discent armis doctrinae non tam ad privata commoda uti, quam ad communem salutem. Fructus autem laboris industriaeque suae eosdem se laturos sperare poterunt, quos in suis olim collegiis atque institutis Petrus Canisius est consecutus, ut dociles ac morigeros experiantur adolescentes, honestis moribus ornatos, ab impiorum hominum exemplis longe abhorrentes, aeque de scientia ac de virtute sollicitos. Quorum in animis ubi pietas altius radices egerit, fere aberit metus ne opinionum pravitate inficiantur aut a pristina virtute deflectant. In his Ecclesia, in his civilis societas spem optimam reponet futuros aliquando egregios cives, quorum consilio, prudentia, doctrina, et rerum civilium ordo et domesticae vitae tranquillitas possit salva consistere.

[1] Sap. XIII, 1.

Quod reliquum est, Deo optimo maximo, qui est *scientiarum Dominus*, Eiusque Virgini Matri, quae *Sedes sapientiae* appellatur, deprecatore adhibito Petro Canisio, qui doctrinae laude tam bene est de Ecclesia catholica meritus, preces adhibeamus, ut votorum, quae pro ipsius Ecclesiae incremento ac pro bono iuventutis concepimus, fieri compotes liceat. Hac spe freti, vobis singulis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro universo, auspicem caelestium munerum et paternae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
ANTONIO DE ARETIN
LIBERO BARONI
LANDSHVTVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Laeti libentes nuncium accepistis, quo afferebatur civitatem vestram XLIV catholicorum Germaniae conventui excipiendo designatam esse. Id Nobis argumento est, quam alte vestris insideat animis fidei amor et religionis studium. De delato vobis honore deque alacri voluntate vestra gratulamur pariter; haec autem alacritas fiduciam iniicit Nobis, nihil vos praetermissuros industriae ac laboris, ut splendidiori quo possit modo indictus coetus habeatur. In quo sane Nobis ac religioni vestram operam probabitis; non enim latet quanti Nos eiusmodi conventus faciamus, assidua autem faustaque experientia docemini quam inde uberes utilitates in Ecclesiam patriamque vestram sint derivatae. Ut igitur conceptum ardorem fovea-

mus, hortatione Nostra libenter utimur; nec libenter minus Apostolicam benedictionem, quam implorastis, tibi, dilecte fili, ceterisque viris, qui coetui disponendo praesunt, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
GREGORIO MARIAE ARCHIEPISCOPO BVRGENSI
BVRGVM DE OCA

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Compertum plane cum haberemus studium, quo semper usus es in episcopali munere gerendo, te ex Lucensi sede ad Burgensem Archiepiscopatum libentes eveximus. Nec nostram Nos fefellisse spem testatur diligentia, qua, nulla mora interposita, dioecesim novam peragrandam suscepisti, provinciaeque Episcopos, ex optatis Nostris, de communibus Ecclesiarum utilitatibus acturos coegisti. At in quo maxime voluntatem tuam perspeximus illud est, quod animum adieceris ad provinciale Concilium, nullo praedecessorum exemplo, anno proximo celebrandum. Optime plane iudicas id ex praecipuis esse adiumentis sive ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, sive ad pietatem omnem promovendam. Quamobrem merito Tridentina Synodus eiusmodi conciliorum efficaciam extulit eaque gravissimis

sententiis Archiepiscoporum diligentiae commendavit. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de coepto proposito gratulamur cummaxime. Ut autem industriae tuae felices habeant exitus, tibi et universis, qui in coetu aderunt, munerum divinorum ubertatem adprecamur, et Apostolicam benedictionem, benevolentiae Nostrae testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ARCHISODALITAS PRECVM AC PIORVM OPERVM
PRO REDITV BRITANNIAE AD FIDEM CATHOLICAM
PARISIIS AD SANCTI SVLPITII RITE CONSTITVITVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Compertum est omnibus iamdudum Apostolici ministerii Nostri curas in id potissimum esse conversas, ut ad catholicae unitatis centrum christianae illae gentes revocentur, quae olim luctuosae temporum vicissitudines ab ipso tamquam a gremio matris abstraxere. Hoc studio acti, quemadmodum de Orientis populis ad religiosam concordiam revocandis cogitavimus, eique negotio singularem operam dedimus, ita etiam spectavimus Britanniae gentem nobilissimam, quae tot ob causas tamque praeclaras Romanae Ecclesiae benevolentiam valde sibi conciliat. Britanniam scilicet vota Nostra petunt, coniuncta cum votis tot hominum sanctitate, doctrina, dignitate praestantium, in quibus maxime fuit Paulus a Cruce, tum pater legifer Olierius, Ignatius Spencer, et Wiseman Car-

dinalis. Spem autem bonam concipimus fore ut Nostra vox quasi bonum semen optatos fructus aliquando ferat ex ea regione, quam et praeteritarum laudum memoria exornat, et praesens gloriae atque humanitatis splendor ad optima quaeque sectanda disponit. Probe tamen intelligentes fructu vacuum futurum quidquid in eam rem operae industriaeque ponatur, nisi divinae gratiae robur ac praesidium accesserit, haec plane intimo ex animo invocare nunquam destitimus, nec mandare omisimus, ut per universam Ecclesiam sollicitae Deo preces adhiberentur. Nunc vero aliquid coeptis addere cupientes, quo latior fiat ac validior quasi precum conspiratio, Piam Societatem constituimus, instar Archisodalitatis, cui propositum sit, assiduis maxime precibus Britanniae coniunctionem cum Romana Ecclesia maturare. In hoc autem pietatis munere praeivimus Nos Ipsi quodammodo. Quum enim biennio ante ad Anglos Litteras dedimus, quibus de summo christianae unitatis negotio ageremus, postquam ad multa precandi officia pro Anglis fratribus hortati sumus, in primisque ad Salutationis Angelicae recitationem, eidem epistolae subiecimus peculiarem ad sanctissimam Virginem precationem, quam indulgentiis ditatam, recitandam nuper sodalibus proposuimus in recentis huius Archisodalitatis statutis sive legibus, quae novem capitibus comprehenduntur. Societatem hanc sive Archisodalitatem ad sancti Sulpitii collocamus ad complexum universi orbis catholici, quasi puncti instar, ex quo aliae Sodalitates in totam vineam Domini, tamquam rivuli ex abundantissimo

fonte, deriventur. Aedes autem eligimus sancti Sulpitii, ubi Societas huiusmodi constitueretur, tum quia Gallia utpote Britanniae citima facilius potest cum ipsa quae opportuna sint atque idonea communicare, tum quia Sulpitianae Congregationis auctor Olierius Angliae cum Romana Ecclesiae reconciliandae ingenti studio suos inter alumnos flagravit; tum denique quod eadem Congregatio sancti Sulpitii, quum ad omnes fere orbis partes proferatur, potest ubique gentium alias istiusmodi Sodalitates instituere. Nostra enim interest maxime, quemadmodum res ipsa suadet, piam istam Societatem longe lateque propagari, ideoque adhortamur omnes vehementer quotquot sunt non in Gallia modo, sed ubique terrarum catholici de religionis causa solliciti, ut sua eidem Societati nomina dare velint. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra, praesentium Litterarum vi, Archisodalitatem precum ac piorum operum pro reditu Britanniae ad fidem catholicam, sub patrocinio Beatae Mariae Virginis Perdolentis, in Aedibus Sulpitianis erigimus, constituimus. Hanc vero Archisodalitatem in fide ac tutela collocamus in primis Magnae Dei Genitricis, cuius dos Anglia est; deinde caelestes patronos advocamus castissimum eiusdem Virginis Sponsum Iosephum, tum Apostolorum Principem Petrum, cuius sub tutela posita est Anglia, et Augustinum Epi-

scopum, cui singulares habentur honores tertio et decimo labente saeculo ex quo ipse primus catholicam fidem et adiumenta salutis aeternae in Britanniam importavit. Archisodalitatis autem Praesidibus, Curionibus, et Sodalibus praesentibus ac futuris, ut ipsi alias Sodalitates eiusdem instituti et nominis in omni orbe catholico existentes, servatis tamen forma Constitutionis Clementis Papae VIII Decessoris Nostri aliisque Apostolicis Ordinationibus super hoc editis, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, Archisodalitati concessas aliisque communicabiles, communicare licite possint et valeant, eadem auctoritate in perpetuum concedimus atque largimur. Indulgentiarum autem modum hunc constituimus: Indulgentiam plenariam consequendi ius esto Sodalibus: I. Die aditus ad Archisodalitatem. II. In articulo mortis. III. In utroque festo Mariae sanctissimae Perdolentis, quorum alterum quadragesimali tempore celebratur, alterum mense Septembri. Item diebus festis sancti Iosephi, Sponsi Beatae Mariae Virginis, sancti Petri Apostoli ac sancti Augustini Episcopi, Angliae patroni. IV. Die menstruae concionis, de qua in articulo nono Statutorum sive legum. Partialem vero indulgentiam concedimus dierum quinquaginta, semel in die lucrandam, Sodalibus, qui Salutationem Angelicam pie recitaverint prout in Statutis sive legibus Archisodalitatis propositum est articulo quarto. Liceat autem Sodalibus, si velint, his omnibus et singulis indulgentiis, sive plenariis sive partialibus, labes poenasque defunctorum expiare. Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas,

et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, aliisque speciali licet et individua mentione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXII Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
EPISCOPO ANAGNINO
CETERISQVE E PROVINCIA CAMPANIA ROMANA
EPISCOPIS

—

## LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Etsi paternam caritatem Nostram pro ratione apostolici muneris longe lateque pertinere oporteat totius complexu gentis humanae, nihilominus tamen, quia naturâ gignitur sensus diligendi eas terrarum partes in quibus primam quisque lucis usuram accepit, sponte fit ut Campaniam provinciam, quam romanam vocant, cui Nos quidem sumus natione coniuncti, propensiore voluntate complectamur. Eo vel magis quod, memoria vetera repetentes, eam provinciam videmus commendatione ac fama non vulgari florere solitam; clarorum virorum nulla fere aetate inopem; in religione vero retinenda adeo constantem, ut hoc nomine a Pontificibus romanis gravia laudum praeconia non semel consecuta sit.

Inter Hernicas vero urbes Anagnia non modo communibus Campaniae laudibus, sed ornamentis etiam commendatur domesticis ac suis. Nam praeter vetustatem originis nomenque remotioribus aetatibus non ignobile, illud sane memoratu dignum iudicamus, quod fidei christianae lumen ex urbe Roma maturrime accepit; ita quidem ut qui primus eam civitatem episcopus rexit, ab ipso apostolorum principe ferant consecratum. — Alia subinde accessere decora: in quibus illud singulare, quod pontifices maximi ortu Anagnini, nominatimque Innocentius III et Gregorius IX, peperere. Quae omnia cogitatione complexi, cum vellemus benevolentiae studiique Nostri perenne monumentum ea in civitate existere, quod frugiferum ac salutare publice foret, quodque ad tuendam provehendamque studiorum optimorum laudem conduceret, consilium cepimus novam sedem eamque accurate fundatam adolescentibus ad sacra aspirantibus Anagniae constituere: adolescentibus dicimus grandioribus natu, qui animo ingenioque bono queant perfectius quiddam attingere cum in litterarum maiorumque disciplinarum studiis, tum in earum praeparatione virtutum, quae comitari sacerdotem in omni vita debent. Qua re non brevi temporis intervallo, sed in spem diuturnitatis, nec uni clericorum ordini, sed ceteris quoque civibus videmur, quantum in Nobis est, profuturi. Nulla enim res vehementius incolumitatem prosperitatemque publicam continet quam mores probi et christianarum studia virtutum: ad utramque vero laudem quanta vis in exemplo operaque clericorum resideat, vix

attinet dicere. Quapropter qui in spem sacerdotii adolescunt, eos ad innocentiam vitae, ad sedulitatem officiorum sanctissimorum sapienti disciplina informari, ipsius reipublicae interest plurimum. Iidem ad ornamenta animi adiungant ea necesse est quae pertinent ad ingenium, scilicet varietatem et copiam doctrinarum. Idque si unquam alias, maxime quidem expedit atque opportunum est aetate nostra: propterea quod in tam celeri ingeniorum cursu, in tanta discendi sciendique cupiditate, contendentibus hominibus ad limatius quotidie genus urbanitatis, profecto dignitas ipsa sacerdotii postulat ut, quotquot in sacris muneribus versantur, sint et habeantur eruditione, auctoritate, existimatione haud sane inferiores, quam ceteri. Est praeterea luctandum pro fidei sanctae integritate cum adversariis apparatissimis, versutis, callidis, persaepe ingeniosis ac doctis, qui undecumque libeat, ex philosophia, ex historia, ex rerum phisicarum scientia, ex recentioribus hominum repertis arma mutuari consueverunt. Atqui sacerdotes, quibus hac in re priores sustinendae sunt partes, qui possunt esse dimicationi pares, nisi in aciem descendant eodem instructu ornatuque comitati? Itaque doctrinae opus est dedant se totos, et nullam humanitatis artem contemnere, sed omnes habere comites ac ministras ab adolescentia assuescant.

His de caussis aedes satis amplas sumptu Nostro Anagniae extruendas curavimus, easque alumnis sacri ordinis addiximus, doctrinis optimis in clero provehendis, prae-

sertim Philosophia ac Theologia: idque iis legibus quas dandis in id ipsum litteris dicturi sumus.

Verum in hac voluntate Nostra quidquid inest commodi atque utilitatis, id volumus non dioecesis Anagnina tantummodo, sed regiones etiam finitimae persentiant. Quocirca Anagninum istud religionis studiorumque optimorum domicilium aeque patere adolescentibus iubemus, quos episcopi Signinus, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, nec non Terracinensis qui et Privernensis et Setinus, huc miserint. Eiusdem autem beneficii consortem esse volumus conterminam dioecesim Fregellanam, quam *Pontem curvum* appellant.

Alius praeterea Nobis est fructus propositus. Cum enim clericis salutare maxime sit secessum identidem quaerere, ut statis animi meditationibus vacare, seque ad sacrorum munerum sanctitatem renovare queant, decrevimus maiorem aliquam eius rei praebere facultatem. Videlicet dimissis per autumnales ferias alumnis, istas aedes usui esse presbyteris volumus pietatis vitaeque potioris studio ad id tempus secessuris.

Intereaque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

INSTITVTVM LEONIANVM ANAGNIAE CONSTITVITVR
ET SODALIBVS E SOCIETATE IESV
REGENDVM MODERANDVM CONCEDITVR

—

# LEO PP. XIII

## MOTV PROPRIO

Ad praeclaras laudes, quibus *Societas Iesu* amplissimum sibi nomen apud sapientes vel a primordiis peperit suamque Ecclesiae operam excellentem probavit, addenda imprimis est ars illa sollertiae instantiaeque plena, qua, in imbuenda christianis moribus optimisque disciplinis adolescenti aetate, maxime inter ceteros commendata est. Cuius quidem recordatio commendationis, totius retro temporis suffragio comprobatae, usu Nobis ipsis venit periucunda, qui et ad artium bonarum studia et ad maiores doctrinas percipiendas magistris usi fuimus viris lectissimis e Societate Iesu. — Haec porro animo reputantes, posteaquam Pontificatum Maximum divinitus suscepimus, iuvenes, eos praesertim qui Deo et Ecclesiae se ipsos perpetuo consecraturi essent, sodalibus e Societate Iesu, tum in Urbe tum in exteris praesertim gentibus, erudiendos semel et saepius

demandavimus. Alumnos praecipue commemoramus Familiae Basilianae in Galicia, itemque Xaverianum seminarium, quod Candy in oppido Indiarum orientalium extruendum voluimus. Nec praeceptam sane fiduciam fefellit exitus. — Quam ob caussam, cum in testimonium propensioris voluntatis erga provinciam *Campaniam,* quam romanam dicunt, quamque Nos natalem habuimus, aedes amplas in civitate Anagnina, sumptu Nostro, aedificandas curaverimus, easdemque iuventuti addixerimus ad sacra munera destinatae, oculos coniecimus iterum in Societatem Iesu, eamque Anagnino Instituto, a Nostro appellandum nomine, praeficiendam decrevimus.

Quod itaque in religiosae rei incrementum cedat, et Ecclesiis provinciae Campaniae romanae benevertat, Institutum Leonianum in civitate Anagnina, hoc *Motu proprio,* auctoritate Nostra apostolica, fundamus et constituimus, legitimi collegii iure adtributo; idemque Sodalibus e Societate Iesu regendum moderandum concedimus, ad leges quae infra scriptae sunt.

I. Aedes, fundus qui aedi adiacet quaeque in fundo sunt, in potestate Pontificis Romani iure dominii sunt perpetuoque erunt.

II. Alumni quid quisque in victum cultumque, quo vita indiget, dependant, rectoribus collegii decernere indicere integrum esto. — Qui tamen, impensâ omni remissâ, in contubernium cooptentur, *viginti* numero esse volumus, nimirum: *binos* ex dioecesibus anagnina, ferentina, verulana, alatrina; *ternos* ex terracinensi, quae et pri-

vernensis et setina; *singulos* ex signina et fregellana; *ternos* item iudicio Rectoris, ut alumnis campanis praemio sint, qui pietate diligentiaque eminuerint; *ceteros* arbitrio Nostro et Successorum Nostrorum. — Praeterea qui impensâ remissâ ex parte, ut italicas libellas singulas, haud minus, in diem solvant, *quadraginta* numero adleguntor, nimirum: *senos* ex anagninis, ferentinis, verulanis, alatrinis; *octonos* ex dioecesibus coniunctis terracinensi, privernensi et setina; *quaternos* ex signinis et fregellanis.

III. Alumni cooptentur in quibus acies ingenii, discendi ardor, indoles et voluntas ad sacerdotium sit; auctoribus Episcopis dioeceseon singularum, ac legitimis de vita et moribus Ordinarii litteris. Cooptandi vero ius omne, item qui indociles noxiive fuerint dimittendi penes Rectorem esto.

IV. Qui alumni solidâ remissâ impensâ, admittuntur, ii fidem iureiurando obligent, se, studiis exactis, nisi Pontificis Maximi auctoritate absolutos, suae redditos dioecesi, eidem operam impensuros esse.

V. Cum alumni philosophicis praecipue et theologicis disciplinis operam dare debeant, ceterisque frui institutionibus, quibus rite ad sacra munera comparentur; idcirco nulli adlegantur, nisi humaniorum litterarum cursu emenso periculoque facto.

VI. Philosophiam et theologiam ceterasque disciplinas, doctoribus Sodalibus eisdem e Societate Iesu, percipiant. Doctoribus vero aeque et alumnis *Thomam Aquinatem* se-

qui ducem eiusque doctrinam colere incorrupte ac tueri lex esto.

VII. Alumni universi, extremo quoque anno, studiorum suorum specimina danto. Magisteriis autem integre constitutis, quorum doctrina experimentis probata fuerit, ii ut ad *gradus academicos* provehantur itemque *ad magisterii lauream,* eo iure quo in urbano Lyceo Gregoriano, potestas esto.

VIII. Quibus vivendi legibus alumni regantur, moderatores collegii, ad instituti rationem accommodate, curent provideant.

IX. Alumnis per ferias autumnales dimissis, aedes collegii sacerdotibus usui esse volumus, qui pietatis vitaeque potioris studio secedant, magistris pariter Sodalibus e Societate Iesu.

X. Bis quotannis in collegii sacrario, adstantibus moderatoribus, doctoribus, alumnis, sacris solemnibus perlitetur ad requietem Nostram gentisque Nostrae et defunctorum omnium. Eisdem diebus qui sacerdotes fuerint, sacrum faxint expiationis caussa; ceteri, rosario mariali sanctisque de altari libatis, pacem adprecentur.

Quae igitur hisce litteris motu proprio statuimus, decrevimus, indiximus, rata omnia firmaque permanere auctoritate Nostra volumus iubemus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOANNI BAPTISTAE PAGANVZZI COM.

VENETIAS

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Consociationum catholicarum opportunam operam atque utilem Nos plane diligimus, itemque morem iam diu inductum conventuum celebrandorum, quibus seiugatas singulorum vires cogere aptoque magisterio moderari licet. Hanc ob caussam, cum de Mediolanensi coetu propediem habendo Nos certiores fecisti, laetari oportuit, magnaque voluntate optatis vestris concessimus, ut animis iam expeditis quosdam hortatione Nostra adderemus stimulos. Quae tractanda proposuistis, cognovimus; inque eis prudentiam vestram apertumque religionis studium perspeximus. Hoc superest, ut eadem agitetis concordes in easque sententias eatis omnes, quae maxime temporibus respondeant, amplioremque in actione utilitatem promittant. Quo loco civitates sint, quaeque graviora impendunt pericula

nemo est quem lateat; neque ulla spes propulsandi adest, nisi populis ad iustitiae leges et ad veterem pietatem reductis. Quamobrem catholicis hominibus audendum strenue, fidentiusque in dies agendum. Quod de musica sacra in coetu disserendum proposuistis, non improbamus sane; curandum tamen ut id fiat auctore dilecto filio Nostro Archiepiscopo Mediolanensium, incolumibusque legibus, quas ea de re Sacrum Consilium ritibus tuendis sapienter edidit. — Interea, auspicem divinorum munerum, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, tibi et universis, qui in conventu aderunt, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
HERBERTO TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII IN MONTE COELIO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI VAVGHAN
ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratissimas scito Nobis advenisse litteras, quas huius exordio mensis ad Nos dedisti. Ex iis enim calescentia istic animorum studia perspeximus in eo ut beati Augustini memoriam grata recordatione concelebretis, tertio decimo condito saeculo, posteaquam vir apostolicus, de religione apud vos insigniter ac de humanitate promeritus, vestris oris appulsus est. Sollemnium agendorum consilium iampridem probavimus; nunc autem factum, si quod unquam fuit, celebratione et gratiis publice dignum, Nos ipsi vobiscum recolimus communione laetitiae et similitudine voluntatis. In ipso tamen consilio opportune suscepto est etiam cur tibi, dilecte fili Noster, Episcopis ceteris et catholicis Angliae universis impense gratulemur. Inde

etenim liquet quam aeque beneficium quisque existimet, quo aucti divinitus fuistis, quamque gratum in Romanam hanc Sedem geratis animum, cui, proxime a Deo, idipsum beneficii quodcumque est acceptum refertis. Siquidem Augustino itineris ad vos suscipiendi ratio nulla fuit, praeterquam Gregorii Magni, decessoris Nostri, providentia et caritas. Cogitaverat hic quidem in Angliam, gentis vestrae amantissimus, ut apostolicos in ea labores praesens obiret: at suscepto Pontificatu detentus, Augustinum pro se substituit cumque eo delectam monacorum manum, quos idem ipse ad pietatem omnem formaverat. Sic porro Anglis christiana sacra sunt restituta, quae, Romanis Pontificibus pariter auspicibus, iam antea Britanniae populis invecta, barbararum occupatione gentium, defecerant. Augustino autem idcirco debetur gratia, quod Gregorii coepta, operosa sedulitate, plena fecerit et cumulata: quamobrem nationis vestrae Apostolus, aeque ac Gregorius ipse, iusto legitimoque nomine appellatus est. — Iamvero tristia, quae abhinc tribus saeculis inciderunt tempora, Augustini operam propemodum deleverunt; quum videlicet in Anglia primum ab unitatis centro abscessum, dein a fide ipsa sanctissima descitum est. Verumtamen deflendum ab Ecclesia matre dissidium non usque adeo invaluit, ut catholica instituta non penes aliquos incolumia forent: quibus etsi, per diuturnam ad nos usque aetatem, alii sese atque alii addiderunt; non eo tamen deventum, ut qui dissident non longe plures censeantur. At quamvis tenuiore numero, ad catholicos unice laus

pertinet, qua filii et alumni parentem ac magistrum Augustinum compellent; quippe uni cum unitatis centro iunguntur, quod est in Romano Pontifice constitutum, a quo evangelicae sapientiae nunciandae munus ac potestatem cum ipse Augustinus tum ceteri Britannorum apostoli sunt assequuti. — Atque hac ex laude, quamquam caussa vobis iure gratulandi datur et gratiam habendi Deo, beneficentissimo e caelo Patri; conscientia tamen officii admonemini ut *depositum fidei* sollicita, qua par est, vigilantia custodiatis, illudque integrum et sartum, prouti est a patribus acceptum, ad filios ditissima hereditate transmittatur. — Quia vero patriae ac civium caritatis non licet esse immemoribus, saecularia istaec Augustini illataeque vobis fidei sollemnia novos indant stimulos ut unitatis bonum, quaeque inde sunt utilitates maximae, popularibus vestris maturare modis omnibus contendatis. Id profecto praestabit excitata in animis orandi Dei sollertia; id dabunt actiones et exempla christiano homini consentanea. Assiduitate enimvero sanctarum precum, catholicoque nomine re et professione probato, potest cuiusque opera afferre aliquid ad exoptatae coniunctionis negotium procurandum fratresque in complexum perfectae caritatis excipiendos. — Occasione demum perlubenter utimur ut Venerabilibus Fratribus Episcopis et, secundum eos, clero Angliae universo commendationem promeritam impertiamus ob iuge studium, quo Nostris optatis in dissidentium reconciliationem strenue obsecundant. Larga quidem utilitatis solatia labori atque instantiae non defuerunt; ast

ampliora praecipimus cogitatione, si nos ad Augustini exempla conferentes, in incepta feliciter actuosiore in dies diligentia incumbamus. — Angliam suam Augustinus ipse respiciat bonus, enixeque ad Deum instet ut divulsi abductique fratres, in unico demum ovili vero, Pastori summo adiungantur. Interea munerum caelestium auspicem et paternae caritatis testem, tibi, dilecte fili Noster, Episcopis, clero populoque catholico universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO TIT. S. AGNETIS EXTRA MOENIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO WRATISLAVIENSI
CETERISQVE EPISCOPIS QVI FVLDAM
CONVENERVNT

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucundo gratoque animo litteras perlegimus semper, quas Venerabiles Fratres Borussiae Episcopi quotannis ad Nos dederunt, Fuldensi conventu exacto. Id vobis officii hoc anno etiam praestare placuit, simili opportunitate usis. Qua in re cum voluntatem vestram cathedrae beati Petri perpetuo addictissimam, tum ardorem pervidimus quo quisque vestrum contendit, ut hortationes Nostras fideles obedienter perficiant. Faveat studiis vestris Spiritus Sanctus, eius enim unius est felicibus incrementis coepta hominum fortunare; quem idcirco exorandum Nos obsecrandumque institimus. — Ceterum de navitate vestra

vobis ecclesiisque vestris gratulamur. Auspicem vero praemii, quo vos summus pastorum Pastor amplissime munerabit, Apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster et Venerabiles Fratres, necnon fidelibus cuique vestrum creditis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Septembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

## LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promoveri quantum privatim publiceque intersit, facile quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocarit. Eam enim ab aeterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi; ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* [1]. Ubi autem volvi primum coepere saecula, lapsis in culpam humani generis auctoribus infectisque eâdem labe posteris universis, quasi pignus con-

[1] Eccli. xxiv, 5.

stituta est instaurandae pacis atque salutis. — Nec dubiis honoris significationibus Unigenitus Dei Filius sanctissimam matrem est prosequutus. Nam et dum privatam in terris vitam egit, ipsam adscivit utriusque prodigii administram, quae tunc primum patravit; alterum gratiae, quo ad Mariae salutationem exultavit infans in utero Elisabeth; alterum naturae, quo aquam in vinum convertit ad Canae nuptias: et quum supremo vitae suae publicae tempore novum conderet Testamentum divino sanguine obsignandum, eamdem dilecto Apostolo commisit verbis illis dulcissimis: *Ecce mater tua* [1]. Nos igitur qui, licet indigni, vices ac personam gerimus in terris Iesu Christi Filii Dei, tantae Matris persequi laudes nunquam desistemus, dum hac lucis usura fruemur. Quam quia sentimus haud futuram Nobis, ingravescente aetate, diuturnam, facere non possumus quin omnibus et singulis in Christo filiis Nostris Ipsius cruce pendentis extrema verba, quasi testamento relicta, iteremus: *Ecce mater tua.* Ac praeclare quidem Nobiscum actum esse censebimus, si id Nostrae commendationes effecerint, ut unusquisque fidelis Mariali cultu nihil habeat antiquius, nihil carius, liceatque de singulis usurpare verba Ioannis, quae de se scripsit: *Accepit eam discipulus in sua* [2]. — Adventante igitur mense Octobri, ne hoc quidem anno patimur, Venerabiles Fratres, carere vos Litteris Nostris, rursus adhortantes sollicitudine qua possumus maxima,

[1] Io. XIX, 27.

[2] Ib.

ut Rosarii recitatione studeat sibi quisque ac laboranti Ecclesiae demereri. Quod quidem precandi genus divina providentia videtur sub huius saeculi exitum mire invaluisse, ut languescens fidelium excitaretur pietas; idque maxime testantur insignia templa ac sacraria Deiparae cultu celeberrima. — Huic divinae Matri, cui flores dedimus mense Maio, velimus omnes fructiferum quoque Octobrem singulari pietatis affectu esse dicatum. Decet enim utrumque hoc anni tempus ei consecrari, quae de se dixit: *Flores mei fructus honoris et honestatis* [1].

Vitae societas atque coniunctio, ad quam homines naturâ feruntur, nulla aetate fortasse arctior effecta est, aut tanto studio tamque communi expetita, quam nostrâ. Nec quisquam sane id reprehendat, nisi vis haec naturae nobilissima ad prava saepe consilia detorqueretur, convenientibus in unum atque in varii generis societates coeuntibus impiis hominibus *adversus Dominum et adversus Christum eius* [2]. Cernere tamen est, idque profecto accidit iucundissimum, inter catholicos etiam adamari magis coeptos pios coetus; eos haberi confertissimos; iis quasi communibus domiciliis christianae vinculo dilectionis ita adstringi cunctos et quasi coalescere, ut vere fratres et dici posse et esse videantur. Neque enim, Christi caritate sublata, fraterna societate et nomine gloriari quisquam

[1] Eccli. XXIV, 23.

[2] Ps. II, 2.

potest; quod acriter olim Tertullianus hisce verbis persequebatur: *Fratres vestri sumus iure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur qui unum patrem Deum agnoscunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverint veritatis* [1]? Multiplex autem ratio est, qua catholici homines societates huiusmodi saluberrimas inire solent. Huc enim et circuli, ut aiunt, et rustica aeraria pertinent, itemque conventus animis per dies festos relaxandis, et secessus pueritiae advigilandae, et sodalitia, et coetus alii optimis consiliis instituti complures. Profecto haec omnia, etsi nomine, forma, aut suo quaeque peculiari ac proximo fine, recens inventa esse videantur, re tamen ipsâ sunt antiquissima. Constat enim, in ipsis christianae religionis exordiis eius generis societatum vestigia reperiri. Serius autem legibus confirmatae, suis distinctae signis, privilegiis donatae, divinum ad cultum in templis adhibitae, aut animis corporibusve sublevandis destinatae, variis nominibus, pro varia temporum ratione, appellatae sunt. Quarum numerus in dies ita percrebuit, ut, in Italia maxime, nulla civitas, oppidum nullum, nulla ferme paroecia sit, ubi non illae aut complures, aut aliquae certe habeantur.

In his minime dubitamus praeclarum dignitatis locum assignare sodalitati, quae a sanctissimo Rosario nuncupa-

[1] Apolog. c. xxxix.

tur. Nam sive eius spectetur origo, e primis pollet antiquitate, quod eiusmodi institutionis auctor fuisse feratur ipse Dominicus pater; sive privilegia aestimentur, quamplurimis ipsa ornata est, Decessorum Nostrorum munificentiâ. — Eius institutionis forma et quasi anima est Mariale Rosarium, cuius de virtute fuse alias loquuti sumus. Verumtamen ipsius Rosarii vis atque efficacitas, prout est officium Sodalitati, quae ab ipso nomen mutuatur, adiunctum, longe etiam maior apparet. Neminem enim latet, quae sit omnibus orandi necessitas, non quod immutari possint divina decreta, sed, ex Gregorii sententia, *ut homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare* [1]. Ex Augustino autem: *qui recte novit orare, recte novit vivere* [2]. At preces tunc maxime robur assumunt ad caelestem opem impetrandam, quum et publice et constanter et concorditer funduntur a multis, ita ut velut unus efficiatur precantium chorus: quod quidem illa aperte declarant Actuum Apostolicorum, ubi Christi discipuli, expectantes promissum Spiritum Sanctum, fuisse dicuntur *perseverantes unanimiter in oratione* [3]. Hunc orandi modum qui sectentur, certissimo fructu carere poterunt nunquam. Iam id plane accidit inter sodales a sacro Rosario. Nam, sicut a sacerdotibus, divini Officii recitatione, publice iugiterque supplicatur, ideoque validissime; ita, publica quodammodo,

[1] Dialog. l. I, c. 8.

[2] In Ps. CXVIII.

[3] Act. I, 14.

iugis, communis est supplicatio sodalium, quae fit recitatione Rosarii, vel *Psalterii Virginis,* ut a nonnullis etiam Romanis Pontificibus appellatum est.

Quod autem, uti diximus, preces publice adhibitae multo iis praestent, quae privatim fundantur, vimque habeant impetrandi maiorem, factum est ut Sodalitati a sacro Rosario nomen ab Ecclesiae scriptoribus inditum fuerit « militiae precantis, a Dominico Patre sub divinae Matris vexillo conscriptae », quam scilicet divinam Matrem sacrae litterae et Ecclesiae fasti salutant daemonis errorumque omnium debellatricem. Enimvero Mariale Rosarium omnes, qui eius religionis petant societatem, communi vinculo adstringit tamquam fraterni aut militaris contubernii, unde validissima quaedam acies conflatur, ad hostium impetus repellendos, sive intrinsecus illis sive extrinsecus urgeamur, rite instructa atque ordinata. Quamobrem merito pii huius instituti sodales usurpare sibi possunt verba illa S. Cypriani: *Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus* [1]. — Ceterum eiusmodi precationis vim atque efficaciam annales Ecclesiae testantur, quum memorant et fractas navali proelio ad Echinadas insulas Turcarum copias, et relatas de iisdem superiore saeculo ad Temesvariam in Pannonia et ad Corcyram insulam victorias nobilissimas. Prioris rei gestae memoriam perennem exstare voluit Gregorius XIII, die festo instituto Mariae

[1] De orat. domin.

victricis honori; quem diem postea Clemens XI Decessor Noster titulo Rosarii consecravit, et quotannis celebrandum in universa Ecclesia decrevit.

Ex eo autem quod precans haec militia sit « sub divinae Matris vexillo conscripta », nova eidem virtus novus honor accedit. Huc maxime spectat repetita crebro, in Rosarii ritu, post orationem dominicam angelica salutatio. Tantum vero abest ut hoc dignitati Numinis quodammodo adversetur, quasi suadere videatur maiorem nobis in Mariae patrocinio fiduciam esse collocandam quam in divina potentia, ut potius nihil Ipsum facilius permoveat propitiumque nobis efficiat. Catholica enim fide docemur, non ipsum modo Deum esse precibus exorandum, sed beatos quoque caelites [1], licet ratione dissimili, quod a Deo, tamquam a bonorum omnium fonte, ab his, tamquam ab intercessoribus petendum sit. *Oratio,* inquit S. Thomas, *porrigitur alicui dupliciter, uno modo quasi per ipsum implenda, alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et ad gloriam consequendam, quae solus Deus dat, secundum illud Psalmi* LXXXIII, *12:* « *gratiam et gloriam dabit Dominus* ». *Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc.* VIII, *4, quod ascendit fumus incensorum de ora-*

[1] Conc. Trid. sess. XXV.

*tionibus sanctorum de manu Angeli coram Deo* [1]. Iam quis omnium, quotquot beatorum incolunt sedes, audeat cum augusta Dei Matre in certamen demerendae gratiae venire? Ecquis in Verbo aeterno clarius intuetur, quibus angustiis premamur, quibus rebus indigeamus? Cui maius arbitrium permissum est permovendi Numinis? Quis maternae pietatis sensibus aequari cum ipsa queat? Id scilicet causae est cur beatos quidem caelites non eadem ratione precemur ac Deum, *nam a sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur, ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis* [2]; implorandae vero Virginis ritus aliquid habeat cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus ipsam compellet, quibus exoratur Deus: *Peccatorum miserere.* Rem igitur optimam praestant sodales a sacro Rosario, tot salutationes et Mariales preces quasi serta rosarum contexentes. Tanta enim Mariae est magnitudo, tanta, qua apud Deum pollet, gratia, ut qui opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare.

Alia etiam Sodalitatis, de qua loquimur, laus est, nec praetereunda silentio. Quoties enim Marialis recitatione Rosarii salutis nostrae mysteria commentamur, toties officia sanctissima, caelesti quondam Angelorum militiae commissa, similitudine quadam aemulamur. Ea ipsi, suo quaeque tempore mysteria revelarunt, eorum fuere pars

[1] Sum. Theol. 2.ª 2.ªe, q. LXXXIII, a. IV.

[2] Ib.

magna, iisdem adfuere seduli, vultu modo ad gaudium composito, modo ad dolorem, modo ad triumphalis gloriae exultationem. Gabriel ad Virginem mittitur nuntiatum Verbi aeterni Incarnationem. Bethlemico in antro, Salvatoris in lucem editi gloriam Angeli cantibus prosequuntur. Angelus Iosepho auctor est fugae arripiendae, seque in Aegyptum recipiendi cum puero. Iesum in horto prae moerore sanguine exsudantem Angelus pio alloquio solatur. Eumdem, devicta morte, sepulcro excitatum, Angeli mulieribus indicant. Evectum ad caelum Angeli referunt atque inde reversurum praedicant angelicis comitatum catervis, quibus electorum animas admisceat secumque rapiat ad aetherios choros, super quos *exaltata est sancta Dei Genitrix.* Piissima igitur Rosarii prece inter sodales utentibus ea maxime convenire possunt, quibus Paulus Apostolus novos Christi asseclas alloquebatur: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam* [1]. Quid autem divinius quidve suavius, quam contemplari cum Angelis cum iisque precari? Quanta niti spe liceat atque fiducia, fruituros olim in caelo beatissima angelorum societate eos, qui in terris eorum ministerio sese quodammodo addiderunt?

His de causis Romani Pontifices eximiis usque praeconiis Marianam huiusmodi Sodalitatem extulerunt, in qui-

[1] Heb. xii, 22.

bus eam Innocentius VIII *devotissimam Confraternitatem* [1] appellat; Pius V affirmat, eiusdem virtute haec consequuta: *Coeperunt Christi fideles in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti et lux catholicae fidei aperiri* [2]; Sixtus V, attendens quam fuerit haec institutio religioni frugifera, eiusdem se studiosissimum profitetur; alii denique multi, aut praecipuis eam indulgentiis, iisque uberrimis auxere, aut in peculiarem sui tutelam, dato nomine variisque editis benevolentiae testimoniis, receperunt. — Eiusmodi Decessorum Nostrorum exemplis permoti, Nos etiam, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur vos atque obsecramus, quod saepe iam fecimus, ut sacrae huius militiae singularem curam adhibeatis, atque ita quidem, ut, vobis adnitentibus, novae in dies evocentur undique copiae atque scribantur. Vestra operâ et eorum, qui e clero subdito vobis curam gerunt animarum, noscant ceteri e populo, atque ex veritate aestiment, quantum in ea Sodalitate virtutis sit, quantum utilitatis ad aeternam hominum salutem. Hoc autem contentione poscimus eo maiore, quod proximo hoc tempore iterum viguit pulcherrima in sanctissimam Matrem pietatis manifestatio per Rosarium, quod *perpetuum* appellant. Huic Nos instituto libenti animo benediximus; eius ut incrementis sedulo vos naviterque studeatis, magnopere optamus. Spem enim optimam concipimus, laudes precesque fore validis-

[1] *Splendor paternae gloriae,* die 26 Febr. 1491.

[2] *Consueverunt RR. PP.,* die 17 Sept. 1569.

simas, quae, ex ingenti multitudinis ore ac pectore expressae, nunquam conticescant; et per varias terrarum orbis regiones dies noctesque alternando, conspirantium vocum concentum cum rerum divinarum meditatione coniungant. Quam quidem laudationum supplicationumque perennitatem, multis abhinc saeculis, divinae illae significarunt voces, quibus Oziae cantu compellabatur Iudith: *Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram, ... quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.* Iisque vocibus universus populus Israel acclamabat: *Fiat, fiat* [1].

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Septembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

[1] Iud. XIII, 23 et seqq.

# CONSTITVTIO APOSTOLICA

## DE VNITATE ORDINIS FRATRVM MINORVM INSTAVRANDA

—

## LEO EPISCOPVS

### SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Felicitate quadam nec sane fortuito factum putamus, ut Nobis olim, in episcopatu gerendo, ex omnibus Italiae provinciis una Francisci Assisiensis parens atque altrix Umbria contingeret. Assuevimus enim acrius et attentius de patre seraphico locorum admonitu cogitare: cumque indicia eius permulta, ac velut impressa vestigia passim intueremur, quae non memoriam eius solum Nobis afferebant, sed ipsum videbantur in conspectu Nostro ponere: cum Alverniae iuga semel atque iterum ascensu superavimus: cum ob oculos ea loca versarentur, ubi editus ac susceptus in lucem, ubi corporis exsolutus vinclis, unde ipso auctore tanta vis bonorum, tanta salus in omnes orientis atque obeuntis solis partes influxit, licuit profecto plenius ac melius cognoscere quanto viro quantum munus assignatum a Deo. Mire cepit Nos franciscana species atque forma: quoniamque intimam franciscalium institutorum virtutem

magnopere ad christianam vitae rationem videbamus conduxisse, neque eam esse huiusmodi ut consenescere vetustate possit, propterea in ipso episcopatu Perusino, ad christianam pietatem augendam tuendosque in multitudine mores probos, Ordinem Tertium, quem Nosmetipsi viginti quinque iam annos profitemur, dedita opera restituere ac propagare studuimus. Eumdem animum in hoc apostolici muneris fastigium eamdemque voluntatem ex eo tempore susceptam attulimus. Ob eamque caussam cum non circumscripte, sed ubique gentium eum ipsum Ordinem florere in spem beneficiorum veterum cuperemus, praescripta legum quibus regeretur, quatenus opus esse visum est, temperavimus, ut quemvis e populo christiano invitaret atque alliceret effecta mollior et accommodatior temporibus disciplina. Expectationem desiderii ac spei Nostrae sat implevit exitus.

Verumtamen Noster erga magnum Franciscum et erga res ab eo institutas singularis amor omnino quiddam adhuc postulabat: idque efficere Deo aspirante decrevimus. Animum videlicet studiumque Nostrum nunc convertit ad sese franciscanus Ordo princeps: nec sane facile reperiatur in quo evigilare enixius atque amantius curas cogitationesque Nostras oporteat. Insignis est enim et benevolentia studioque Sedis Apostolicae dignissima ea, quae Fratrum Minorum familia nominatur, beati Francisci frequens ac mansura soboles. Ei quidem parens suus, quas leges, quae praecepta vivendi ipse dedisset, ea omnia imperavit ut religiosissime custodiret in perpetuitate consequentium tempo-

rum: nec frustra imperavit. Vix enim societas hominum est ulla, quae tot virtuti rigidos custodes eduxerit, vel tot nomini christiano praecones, Christo martyres, caelo cives ediderit: aut in qua tantus virorum proventus, qui iis artibus, quibus qui excellunt praestare ceteris iudicantur, rem christianam remque ipsam civilem illustrarint, adiuverint.

Horum quidem bonorum non est dubitandum maiorem et constantiorem futuram ubertatem fuisse, si arctissimum coniunctionis concordiaeque vinculum, quale in prima Ordinis aetate viguit, perpetuo mansisset: quia *virtus quanto est magis unita, tanto est fortior, et per separationem minuitur* [1]. Quod optime viderat et caverat mens provida Francisci, quippe qui suorum societatem praeclare finxit fundavitque ut corpus unum non solubili compage aptum et connexum. Quid revera voluit, quid egit aliud cum unicam proposuit vivendi regulam, quam omnes sine ulla nec temporum nec locorum exceptione servarent, vel cum unius rectoris maximi potestati subesse atque obtemperare iussit universos? Eiusmodi tuendae concordiae praecipuum et constans in eo studium fuisse, perspicue discipulus eius confirmat Thomas a Celano, qui *assiduum,* inquit, *votum vigilque studium in eo fuit custodire inter fratres vinculum pacis, ut quos idem spiritus traxerat, idemque genuerat pater, unius matris gremio pacifice foverentur* [2].

Verum satis in comperto sunt posteriores casus. Ni-

[1] S. Thom. 2.ª 2.ae, quaest. xxxvii, a. 2, ad 3.um.

[2] *Vita secunda,* P. iii. c. cxxi.

mirum sive quod flexibiles hominum sunt voluntates et varia solent esse ingenia in congregatione plurimorum, sive quod communium temporum cursus sensim ac pedetentim alio flexisset, hoc certe usu venit franciscanis ut de instituenda vita communi aliud placeret aliis. Concordissimam illam communionem quam Franciscus spectarat et secutus erat, quamque sanctam esse apud suos voluerat, duae res potissimum continebant: studium voluntariae paupertatis, atque ipsius imitatio exemplorum in reliquarum exercitatione virtutum. Haec franciscani instituti insignia, haec eius fundamenta incolumitatis. At vero summam rerum inopiam, quam vir sanctissimus in omni vita adamavit unice, ex alumnis eius optavere nonnulli simillimam: nonnulli, quibus ea visa gravior, modice temperatam maluerunt. Quare aliorum ab aliis secessione facta, hinc *Observantes* orti, illinc *Conventuales*. Similiter rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes, quibus ille ad miraculum eluxerat, alii quidem imitari animose ac severe, alii lenius ac remissius velle. Ex prioribus iis fratrum *Capulatorum* familiâ coalitâ, divisio tripartita consecuta est. Non idcirco tamen exaruit Ordo: nemo est enim quin sciat, sodales singularum, quas memoravimus, disciplinarum praeclaris in Ecclesiam meritis praestitisse et fama virtutum.

De Ordine Conventualium, item de Capulatorum nihil omnino decernimus novi. Legitimum disciplinae suae ius, uti possident, ita possideant utrique in posterum. Eos tantummodo hae litterae Nostrae spectant, qui

concessu Sedis Apostolicae antecedunt loco et honore ceteros, quique *Fratrum Minorum* merum nomen, a Leone X acceptum [1], retinent. Horum quoque in aliqua parte non est omnium vita consentiens. Quandoquidem communium iussa legum universi observare studuerunt, sed aliis alii severius. Quae res quatuor genera, ut cognitum est, effecit: *Observantes*, *Reformatos*, *Excalciatos* seu *Alcantarinos*, *Recollectos:* et tamen non sustulit funditus societatem. Quamvis enim privilegiis, statutis, varioque more altera familia ab altera differret, et cum provincias, tum domos tironum unaquaeque proprias obtineret, constanter tamen omnes, ne principium prioris coagmentationis interiret, obtemperationem uni atque eidem antistiti retinuerunt, quem *Ministrum generalem totius Ordinis Minorum*, uti ius est, vocant [2]. Utcumque sit, quadripartita istaec distributio, si maiorum spem bonorum, quam perfecta communitas attulisset, intercepit, non fregit vitae disciplinam. Quin etiam cum singulae auctores adiutoresque habuerint studiosos alienae salutis et praestanti virtute sapientiaque viros, dignae sunt habitae, quas romanorum Pontificum benevolentia complecteretur et gratia. Hoc ex capite vi et fecunditate hausta, ad fructus efferendos salutares et ad prisca franciscalium exempla renovanda valuerunt. Sed ullumne ex humanis institutis est, cui non obrepat aliquando senectus?

[1] Const. *Ite et vos,* IV kal. Iun. 1517.

[2] Leon. X Const. cit. *Ite et vos.*

Certe quidem usus docet, studium virtutis perfectae, quod in ortu adolescentiaque Ordinum religiosorum tam solet esse severum, paullatim relaxari, atque animi ardorem pristinum plerumque succumbere vetustati. Ad hanc senescendi collabendique caussam, quam afferre consuevit aetas, quaeque omnibus est coetibus hominum naturâ insita, altera nunc ab inimica vi accessit extrinsecus. Scilicet atrox procella temporum, quae centum amplius annis rem catholicam exagitat, in ipsas Ecclesiae auxiliares copias, Ordines virorum religiosorum dicimus, naturali itinere redundavit. Despoliatos, pulsos, extorres, hostiliter habitos quae regio, quae ora Europae non vidit? Permagnum ac divino tribuendum muneri, quod non excisos penitus vidimus. Iamvero duabus istis coniunctis caussis plagam accepere nec sane levem: fieri enim non potuit quin duplicato fessa incommodo compago fatisceret, quin vis disciplinae vetus, tamquam in affecto corpore vita, debilitaretur.

Hinc instaurationis orta necessitas. Nec sane defuere in Ordinibus religiosis qui ea velut vulnera, quae diximus, sanare, et in pristinum statum restituere se sua sponte ac laudabili alacritate conati sint. Id Minores, etsi magnopere vellent, assequi tamen aut aegre aut nullo modo possunt, quia desideratur in eis conspirantium virium cumulata possessio. Revera praefecturam Ordinis gerenti non est in omnes familias perfecta atque absoluta potestas: certa quaedam eius acta et iussa repudiari privatae nonnullarum leges sinunt: ex quo perspicuum est, perpetuo pa-

tere aditum repugnantium dimicationi voluntatum. Praeterea variae sodalitates, quamquam in unum Ordinem confluunt et unum quiddam aliqua ratione efficiunt ex pluribus, tamen quia propriis provinciis differunt, domibusque ad tirocinia invicem distinguuntur, nimis est proclive factu, ut suis unaquaeque rebus moveatur, seque magis ipsa quam universitatem diligat, ita ut, singulis pro se contendentibus, facile impediantur magnae utilitates communes. Denique vix attinet controversias concertationesque memorare, quas sodalitiorum varietas, dissimilitudo statutorum, disparia studia, tam saepe genuerunt, quasque caussae manentes eaedem renovare easdem in singulos propemodum dies queant. Quid autem perniciosius discordia? quae quidem ubi semel inveteravit, praecipuos vitae nervos elidit, ac res etiam florentissimas ad occasum impellit.

Igitur confirmari et corroborari Ordinem Minorum necesse est, virium dissipatione sublata: eo vel magis quod populari ingenio popularibusque moribus volvitur aetas; proptereaque expectationem sui non vulgarem sodalitium facit virorum religiosorum ortu, victu, institutis populare. Qui populares enim habentur, multo commodius et aspirare et applicare se ad multitudinem, agendo, navando pro salute communi, possunt. Hac sibi oblata bene merendi facultate Minores quidem studiose atque utiliter usuros certo scimus, si validos, si ordine dispositos, si instructos, uti par est, tempus offenderit.

Quae omnia cum apud Nos multum agitaremus animo,

decessorum Nostrorum veniebat in mentem, qui incolumitati prosperitatique communi alumnorum franciscalium succurrere convenienter tempori, quoties oportuit, consuevere. Idem Nos ut simili studio ac pari benevolentia vellemus, non solum conscientia officii, sed illae quoque caussae, quas initio diximus, impulere. Atqui omnino postulare tempus intelleximus, ut ad coniunctionem communionemque vitae priscam Ordo revocetur. Ita, amotis discidiorum et contentionum caussis, voluntates omnes unius nutu ductuque invicem colligatae tenebuntur, et, quod consequens est, erit ipsa illa, quam parens legifer intuebatur, constitutionis forma restituta.

Duas ad res cogitationem adiecimus, dignas illas quidem consideratione, quas tamen non tanti esse vidimus ut consilii Nostri retardare cursum ulla ratione possent, nimirum privilegia singulorum coetuum aboleri, et omnes quotquot ubique essent Minores, de quibus agimus, unius disciplinae legibus aeque adstringi oportere. Nam privilegia tunc certe opportuna ac frugifera cum quaesita sunt, nunc commutatis temporibus, tantum abest ut quicquam prosint religiosae legum observantiae, ut obesse videantur. Simili modo leges imponere unas universis incommodum atque intempestivum tamdiu futurum fuit, quoad varia Minorum sodalitia multum distarent interioris dissimilitudine disciplinae: contra nunc, cum non nisi pertenui discrimine invicem differant.

Nihilominus instituti et moris decessorum Nostrorum memores, quia res vertebatur gravioris momenti, lumen

consilii et prudentiam iudicii ab iis maxime, qui eadem de re iudicare recte possent, exquisivimus. Primum quidem cum totius Ordinis Minorum legati an. MDCCCLXXXXV Assisium in consilium convenissent, cui praeerat auctoritate Nostra b. m. Aegidius Mauri S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Ferrariensis, perrogari in consilio sententias iussimus, de proposita familiarum omnium coniunctione quid singuli censerent. Faciendam frequentissimi censuerunt. Imo etiam lectis ab se ex ipso illo coetu viris hoc negotium dedere ut Constitutionum codicem perscriberent, utique communem omnibus, si communionem Sedes Apostolica sanxisset, futurum. Praeterea S. R. E. Cardinales e sacro Consilio Episcoporum atque Ordinum religiosorum negotiis praeposito, qui pariter cum S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio christiano nomini propagando Nobis de toto hoc negotio vehementer assenserant, acta Conventus Assisiensis et omnia rationum momenta ponderanda diligentissime curaverunt, exploratisque et emendatis, sicubi visum est, Constitutionibus novissimis, testati sunt, petere se ut Ordo, sublato familiarum discrimine, unus rite constituatur. Id igitur omnino expedire atque utile esse, idemque cum proposito conditoris sanctissimi cumque ipsa Numinis voluntate congruere sine ulla dubitatione perspeximus.

Quae cum ita sint, auctoritate Nostra apostolica, harum virtute litterarum, Ordinem Minorum, variis ad hanc diem sodalitiis distinctum, ad unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam, ita ut unum atque

unicum corpus efficiat, familiarum distinctione omni deleta, revocamus, revocatumque esse declaramus.

I. Is, extinctis nominibus *Observantium, Reformatorum, Excalciatorum* seu *Alcantarinorum, Recollectorum,* Ordo Fratrum Minorum sine ullo apposito, ex instituto Francisci patris appelletur: ab uno regatur: eisdem legibus pareat: eadem administratione utatur, ad normam Constitutionum novissimarum, quas summa fide constantiaque ab omnibus ubique servari iubemus.

II. Statuta singularia, item privilegia iuraque singularia, quibus familiae singulae privatim utebantur fruebantur, ac prorsus omnia quae differentiam aut distinctionem quoquo modo sapiant, nulla sunto: exceptis iuribus ac privilegiis adversus *tertias personas:* quae privilegia, quaeque iura firma, ut iustitia et aequitas postulaverit, rataque sunto.

III. Vestitum cultumque eâdem omnes formâ induunto.

IV. In gubernatione Ordinis universi, quemadmodum unus Minister generalis, ita Procurator unus esto: item Scriba ab actis unus: honorum caelestibus habendorum Curator unus.

V. Quicumque ex hoc die minoriticas vestes rite sumpserint: quicumque maiore minoreve ritu vota nuncupaverint, eos omnes sub Constitutiones novas esse subiectos, officiisque universis, quae inde consequuntur, adstringi ius esto. Si qui Constitutionibus novis abnuat subesse, ei habitu religioso, nuncupatione votorum, professione interdictum esto.

VI. Si qua Provincia his praeceptis legibusque Nostris non paruerit, in ea nec tirocinia ponere quemquam, nec profiteri rite Ordinem liceat.

VII. Altioris perfectionis vitaeque, ut loquuntur, contemplativae cupidioribus praesto esse in provinciis singulis domum unam vel alteram in id addictam, fas esto. Eiusmodi domus iure Constitutionum novarum regantur.

VIII. Si qui e sodalibus solemni ritu professis addicere se constitutae per has litteras disciplinae iustis de caussis recusarint, eos in domos Ordinis sui certas secedere auctoritate nutuque Antistitum liceat.

IX. Provinciarum cum mutare fines, tum minuere numerum, si necessitas coegerit, Ministro generali coniuncte cum Definitoribus generalibus liceat, perrogata tamen Definitorum Provinciarum, de quibus agatur, sententia.

X. Cum Minister generalis ceterique viri Ordini universo regundo ad hanc diem praepositi magistratu se quisque suo abdicarint, Ministrum generalem dicere auctoritatis Nostrae in caussa praesenti esse volumus. Definitores generales, ceterosque munera maiora gesturos, qui scilicet in conventu Ordinis maximo designari solent, designet in praesenti caussa sacrum Consilium Episcoporum atque Ordinum religiosorum negotiis praepositum, exquisita prius ab iis ipsis sententia, qui potestatem Definitorum generalium hodie gerunt. Interea loci Minister generalis Definitoresque generales in munere quisque versari suo pergant.

Gestit animus, quod Nostram in beatum Franciscum

pietatem religionemque veterem consecrare mansuro providentiae monumento licuit: agimusque benignitati divinae gratias singulares, quod Nobis in summa senectute id solatii, percupientibus, reservavit. Quotquot autem ex Ordine Minorum sodales numerantur, pleni bonae spei hortamur obsecramusque, ut exemplorum magni parentis sui memores, ex his rebus ipsis, quas ad commune eorum bonum decrevimus, sumant alacritatem animi atque incitamenta virtutum, ut digne ambulent *vocatione, qua vocati* sunt, *cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* [1].

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes: contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus, et derogatum esse declaramus.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam

[1] Ephes. IV, 1-3.

impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, unionis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum quarto nonas Octobris anno Incarnationis Dominicae millesimo octogesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cvgnonivs

# LITTERAE APOSTOLICAE

DE ELECTIONE NOVI MINISTRI GENERALIS
ORDINIS MINORVM

---

DILECTO FILIO
ALOISIO LAVER A FVLDA
SODALI ORDINIS FRATRVM MINORVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Insignem sane benevolentiaeque Nostrae singularibus nominibus commendatum Ordinem Fratrum Minorum ex genere Sodalium quadripartito in unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam restituendum, data in id hesterno die Constitutione Apostolica, curavimus. Ex quo, si consilia Nostra Deus fortunaverit, uti confidimus, certe Ordini universo plurimum ad prosperitatem, plurimum etiam ad fructuosam operam accedet. Quoniam autem in re nova dilectus filius Aloisius a Parma Minister Generalis testatus est magistratum se sponte de-

ponere, Nos quidem factum probavimus, collaudata, ut aequum erat, modestia viri, eodemque tempore decrevimus iudicii fore auctoritatisque Nostrae designare, qui in eius locum proxime subrogandus videretur. Videlicet is debet esse huiusmodi, ut propositum Nostrum perficere intelligenter queat, et constitutionem temperationemque Ordinis novam stabiliendam summa cum prudentia et incolumi animorum concordia curet; ob eamque rem praeter ornamenta illa animi, sine quibus nunquam praeesse aliis utiliter potest quisquam, alia praeterea ab illo tempus desiderat. Quas quidem virtutes, dilecte fili, cum non minores in te esse, quam in eo quem memoravimus, ex multorum praedicatione ac testimonio cognoverimus, cumque munerum abs te gestorum laudabiles exitus idem testentur, idcirco singulari te benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra, his litteris, te Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum facimus, constituimus, renuntiamus, tibique munus istud tamdiu gerendum quoad Nobis Sedique Apostolicae placuerit conferimus, demandamus, atque omnia et singula iura, facultates, privilegia, quae Ministri Generalis sunt propria, tibi similiter impertimus. Volumus autem et praescribimus, ut omnes, ad quos spectat et spectare poterit, te in huiusmodi officium accipiant et admittant, tibique faveant, pareant, ac praesto sint, tuaque monita vel

praecepta reverenter audiant et fideliter exequantur, secus poenas, quas in rebelles irrogaveris, ratas habebimus atque auctoritate Nostra confirmabimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis Franciscalis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et legibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub` anulo Piscatoris die v Octobris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CLEMENTI ARCHIEPISCOPO CARTHAGINIENSI
CARTHAGINEM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opportune admodum cogitasti ut certiores Nos faceres de incremento catholicae rei in Carthaginiensi archidioecesi, quam tibi, tuo fisi studio tuaeque navitati, moderandam concessimus. Te quidem non latet qua Nos voluntate industrias omnes adiecimus ad hasce Ecclesias in veterem splendorem revocandas, quae, diuturno saeculorum spatio, christianae fidei constantia, virisque sanctimonia ac doctrina insignibus floruerunt. Gaudet igitur animus quod desiderium Nostrum impleat exitus, atque in dies cumulatius impleturus videatur. Tibi sane, Venerabilis Frater, diligentiaeque tuae, qua, haud secus ac decessor tuus, in exemplum praestas, id iure ac libenter tribuimus. Deumque rogamus ut in utilitatem Carthaginiensis Ecclesiae

te diu sospitet, laboresque tuos abunde fortunet. Quo vero inter assidua curarum benevolentiae Nostrae testimonium solatio adsit, Apostolicam benedictionem, divinorum munerum auspicem, tibi, clero fidelibusque tuis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Octobris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GVLIELMO MARIAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SOURRIEU
ARCHIEPISCOPO ROTHOMAGENSI
ROTHOMAGVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae nuncia advenerunt, te annum a sacerdotio inito quinquagesimum, effusis cleri populique laetitiis, propediem expleturum, eo Nobis gratiora cedunt, quo magis tuum studium tuamque in sacro munere diu naviterque gerendo constantiam probe cognoscimus. Sic enim fit, ut te, qui, praesertim ubi episcopali dignitate fuisti auctus, ceterorum voluntates in Romanae Sedis amorem convertere ad hanc diem adlaboras, praecipua caritate prosequamur; civesque Rothomagenses, hanc nactos opportunitatem, observantis erga te animi officium iure testatum velle laetemur summopere. Itaque de fausti eventus celebritate tibi gratulamur merito, utque, laboribus iam sollerter obitis

praemia elargitus, tibi Deus opitulator adsit, novâque vitae usura et viribus in dies alacrioribus suppeditatis, te sospitem dudum gregis tibi crediti utilitati, reique catholicae in ista regione incremento servet, rogamus ex animo. — Quo autem, quantum in Nobis est, debita iucunditatis accessio non desit, valeat Apostolica benedictio, quam tibi universaeque archidioecesi tuae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Octobris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LEO PP. XIII

## MOTV PROPRIO

Christianae reipublicae tam late fusa tamque operosa administratio omnino postulabat, ut Pontifici romano viri sapientes et graves perpetuo assiderent, quibuscum et consilia communicare et quotidianam negotiorum molem partiri opportune posset. Hinc ea sunt S. R. E. Cardinalium Consilia sapientissime constituta, quae *Romanae Congregationes* nuncupantur; quorum est quibusdam in caussis ius dicere, de iure respondere, aliaque complura decernere, transigere, quae transigi decernique eorum auctoritate lex et consuetudo iubet. Iis tamen, quod ratio, quod naturalis rerum ordo requirebat, non promiscua universis, sed sua singulis potestas data, suumque negotiorum ad expediendum unicuique assignatum genus. Quod sane nisi decessorum Nostrorum providentia cavisset, magna erat permixtio iuris et confusio futura, simulque spes utilitatum maximarum, quas nomini christiano Congregationes romanae pepererunt quotidieque pariunt, vel ab initio intercidisset. Iamvero officii Nostri est tueri in eis constitutionem temperationemque nativam, efficiendo ut singularum potestas suis contineatur finibus, ac si quid

forte minus consentaneum invexerit diuturnitas, emendare. His de rebus et caussis cum animum adiecissemus ad sacrum Consilium, cuius muneris est de Indulgentiis sanctorumque Reliquiis cognoscere ac statuere, aliquod ei officium providentiae Nostrae impertiri vidimus oportere.

Illud videlicet Clemens IX decessor Noster instituit *Motu proprio* die VI Iulii an. MDCLXIX edito, diligenterque eius quae forent partes praescripsit his verbis:... *cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat, Nobis tamen et romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis, expediendi. Ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi. Falsas quoque, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Nobis, seu romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, Nostra seu illius auctoritate reiiciendi.... Reliquias de novo inventas recognoscendi quoque et examinandi... omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curandi.* Verum ad haec posteriorum concessu Pontificum alia accessit facultas, nimirum ipsa sacrae indulgentiae munera dilargiendi, adiecta rescriptis clausula, *praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.*

Sed cum huius generis rescriptorum frequentia crevisset praeter modum, iisdemque de rebus rescribere eodem tempore consuesset Curia a diplomatis pontificiis, abnormis quaedam ac praepostera agendarum rerum consecuta ratio est. Huic incommodo occurrendum tempestive censuit

Pius IX f. r. decessor Noster, datoque in id decreto [1] Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis praepositam extra fines Constitutionis Clementinae excurrere prohibuit, indulgentiarum tribuendarum adempta facultate. *Nos praesenti* Motu proprio, *et ex certa scientia ac matura deliberatione decernimus, ut Congregatio eadem pergat quidem retinere quaestiones et disceptationes quae super Indulgentiis aut Reliquiis forte oboriantur, et peragere etiam atque expedire alia omnia, quae suae dumtaxat institutionis munia respiciunt ad tramites Motus proprii, quem hac de re praelaudatus Antecessor Noster Clemens IX dedit sub die* VI Iulii MDCLXIX; *abstineat tamen omnino ab emittendis actis illis quae ad Indulgentiarum pertinent concessionem.* Verumtamen huius vis decreti sensim excidit, restituta scilicet ea ipsa, quae fuerat adempta, facultate: ita plane ut non minore quam antea numero rescripta edi soleant cum ea clausula, quam supra diximus. Qua re quoniam perturbationem ordinis debiti ac vetera incommoda plane renovari, multorum testimonio, Nobis constiterat, delectis quibusdam S. R. E. Cardinalibus mandavimus, ut causam mature perpenderent, et quo remedio opus esse videretur, aperte significarent. Igitur cognita eorum sententia, ut sua cuique munia serventur integra, motu proprio et certa scientia decernimus:

I. Ut Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ea salva iura permaneant, quae Clemens auctor

[1] *Motu proprio* diei II Ianuarii an. MDCCCLV.

instituit: praetereaque eidem confirmamus, et, quatenus opus sit, de integro concedimus facultates omnes, quae in syllabo, his litteris adnexo, numerantur.

II. Volumus et statuimus, ceteras concessiones iterationesque indulgentiarum, privilegia altarium, facultates benedicendi et alia eiusmodi ad Nostram Secretariam Brevium exclusive pertinere.

III. Simili ratione decernimus ut quae facultates Congregationi, de qua agimus, collatae sunt, eae ita sint eius propriae, ut nulli praeterea vel Congregationi vel Secretariae possint esse communes.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Octobris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

---

# SYLLABVS

*Facultatum quas SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII S. Congregationi Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae confirmat et, quatenus opus sit, de integro concedit iuxta n. I Sui* Motus Proprii *sub die* XXXI *Octobris an.* MDCCCXCVII *incip.* Christianae reipublicae.

1° Facultatem interpretandi Rescripta de Indulgentiis sacrisque Reliquiis edita, etiam propria manu a Summo Pontifice signata.

2° Dirimendi quaestiones et dubia minoris momenti, quae ita facile dilui possunt ut necesse non sit de eis in Eminentissimorum Patrum Congregatione disceptare.

3° Approbandi Summaria Indulgentiarum.

4° Sanandi defectus cuiuslibet generis qui irrepserint in erectiones Confraternitatum, Congregationum, piarum unionum etc. vel etiam in earum aggregationem ad Archiconfraternitates, Primarias, Primo-primarias etc.

5° Sanandi defectus quoscumque quibus affici contingat adscriptiones Christifidelium ad Tertios Ordines, ad Confraternitates, Congregationes, Pias Uniones etc. Itemque defectus in benedicendis et imponendis scapularibus, in benedictionibus Rosariorum, coronarum etc., in erectione Stationum Viae Crucis et Matris Dolorosae.

6° Dispensandi super defectu distantiae requisitae ad erectionem Confraternitatum, ita tamen ut rescripti executio remittatur prudenti iudicio Ordinarii. Dispensandi etiam super conditione distantiae inter ecclesias, quae praefiniri solet in rescriptis concessionis quarumdam Indulgentiarum.

7° Transferendi Indulgentias favore Sanctimonialium, cum de uno ad aliud Monasterium, sive de una ad aliam domum migrant ob temporum adiuncta.

8° Concedendi, quatenus opus sit, ut Indulgentiae quibus gaudebant ecclesiae Regularium, vigere pergant post ipsorum expulsionem seu violentam conventuum sup-

pressionem. Quae facultas extendatur ad casus tum praeteritarum tum futurarum conventuum suppressionum; extensive etiam ad ecclesias sive Sanctimonialium, sive cuiuslibet Congregationis et Instituti.

9° Concedendi ut Regularium Ordinum, et etiam Congregationum sive Institutorum alumni utriusque sexus Indulgentiis et gratiis quibus gaudebant in propriis respective ecclesiis, frui possint et valeant dum vitam communem agunt in alia domo in qua legitime habent oratorium vel publicum vel privatum.

10° Transferendi a die vel diebus ad diem vel dies alios Indulgentias iam concessas; exceptis *Indulgentia Portiunculae* aliisque Indulgentiis plenariis concessis *toties quoties*.

11° Transferendi ad aliam ecclesiam vel ad aliud oratorium publicum Indulgentias iam concessas ecclesiae vel publico oratorio.

12° Concedendi dioecesibus intra et extra Italiam privilegium ut Indulgentias, pro quibus requiritur sacramentalis confessio, lucrari valeant Christifideles qui sacramentalem confessionem peragere solent infra duas hebdomadas. Quod tamen privilegium non concedatur, nisi Ordinario dioecesis expresse petente et ob penuriam confessariorum tantum.

13° Commutandi conditiones, seu pias exercitationes ad Indulgentiarum acquisitionem praescriptas, in alia pia opera omnino vel fere aequivalentia: exceptis semper Indulgentiis plenariis *totics quoties*, et exceptis etiam

conditionibus sacramentalis confessionis et sacrae Communionis quotiescumque requiruntur.

14° Renovandi seu prorogandi pro Sanctimonialibus, vere pauperibus tantum, Indulgentias iam ipsis concessas, etiamsi forte distulerint renovationem vel prorogationem implorare.

# EPISTOLA

DILECTO FILIO
AVGVSTINO BARTOLINI
ANTISTITI VRBANO
CVSTODI GENERALI ARCADIAE

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libenti sane et grato animo litteras perlegimus, quibus, pro observantiae officio, nunciabas Arcadum coetum suos de variis doctrinarum disciplinis conventus sub vesperum agendos propediem instauraturum. Accepimus enim, additas, abhinc decem fere annis, lucubrationes veteris Instituti formam, quae praecipue in litteris scite excolendis ponitur, minime immutare; eiusmodi vero esse, ut cum ad humaniora quaeque studia in honorem vindicanda non modice pertineant, tum haud dubio sint argumento, quam apte vestris insideat animis ardor religionis adserendae. Quanti autem faciamus industrias, quibus viri eruditione praediti veritatem tueri contendant, non est cur multis prosequamur. Nam qui disciplinas politiores cum fidei de-

core coniunctas vel a teneris adamavimus cummaxime, omni postea arrepta occasione suasores fuimus, eo magis doctrinarum utilitati labores futuros, quo satius Ecclesiae obsequuntur documentis, et Deum *scientiarum Dominum* sibi obsecundantem demerentur. — Quapropter tibi ceterisque laudi vertimus apprime, quod in studiis consilio exemploque fovendis navitatem ab immota in Petri Cathedram fide nunquam seiungatis; vosque pergite interea, novis ex Nostra benevolentia viribus in dies sumptis, Romanae huic Sedi vestrum probare ingenium et sollertiam. Utque res e votis uberius cedat, alacritatem vobis adiiciat Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, tuisque in hoc opere sociis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO

MAXIMILIANO ZARA

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam in sanctissimam Christi Matrem a pueris hausimus religionem, eam diuturno aetatis tempore adeo utilem experti sumus solatiique plenam, ut omnem operam contulerimus ad illam in christianis gentibus fovendam et propagandam. Quoniam vero persuasum experiendo erat, nihil esse efficacius ad Deiparae amorem penitius animis inserendum quam Marialis Rosarii frequentationem, huc hortationes Nostras advertimus ut ad huius precationis usum fideles omnes excitaremus. In quo cum te etiam, dilecte fili, optatis Nostris noverimus obsecundare, ephemeride scilicet in vulgus edita, quae *Virgini a Rosario* inscribitur; voluntatem tuam Nobis probari scito, laboresque tuos pergratos accidere. Ut autem benevolentiae

Nostrae testimonio coeptum iam diu opus alacrius prosequare, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CAROLO ARCHIEPISCOPO MVTINENSI
MVTINAM

—

## LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cognovimus ex litteris tuis tibi ceterisque Provinciae Mutinensis Episcopis hanc esse mentem, ut ad religiosae rei utilitates procurandas, primum ab instituta provincia, in Concilium conveniatis. Id Nobis propositum probatur admodum. Uti enim, ex continenti Ecclesiae experientia, perspicuum est, nihil adeo confert ad pietatem fovendam ac damna quaevis tum fidei tum moribus in christiano populo cavenda, quam eiusmodi Episcoporum conventus; in quibus collatis consiliis rectius dispicitur quid detrimenti ceperit vel captura forte sit res religiosa, quibusque argumentis efficacius, si quae irrepserint, propellantur. Adsit igitur vobis divinae Sapientiae numen. Vobis autem, clero fidelibusque vestris Apostolicam benedictionem, pa-

ternae Nostrae benevolentiae testem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

ADOLPHO LVDOVICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PERRAUD

EPISCOPO AVGVSTODVNENSI

AVGVSTODVNVM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Officium plane gratum habuimus, quo Nos litteris donasti, quas ad fideles dedisti dioecesis tuae de precum Consociatione pro Anglorum reditu maturando ad catholica sacra. Porro in eodem libello sermones etiam perlegimus, quos Londini et Cantuariae habuisti, quum eo es profectus, sollemniis interfuturus ob impletum saeculum XIII ab adventu Augustini in Angliam. Has profecto lucubrationes testes habuimus studii, quo in anglae gentis utilitatem ferves, Syagrii decessoris tui caritatem aemulatus. Eo autem pluris hasce Nos scriptiones fecimus, quod in illis potiora argumenta exhibentur apte, quae valent maxime tum ad animos suadendos, qui a Nobis fide bona dissident, tum ad antiquitatem adserendam catholicorum in-

stitutorum in Anglis. Tibi igitur, dilecte fili Noster, de labore tuo gratulamur; utque Deus industrias fortunet tuas, quae Nostrae etiam sunt, Apostolicam benedictionem, benevolentiae Nostrae pignus, tibi amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
SANCTVS PASCHALIS BAYLON COETVVM EVCHARISTICORVM
ET SOCIETATVM OMNIVM A SS. EVCHARISTIA
PATRONVS CAELESTIS CONSTITVITVR

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Providentissimus Deus fortiter suaviterque disponens omnia, singulari quadam cura Ecclesiae suae ita prospexit, ut quum inclinatae maxime res viderentur, ex ipsa temporum acerbitate insperata eidem solatia suscitaret. Id, quum saepe alias, tum potissimum videre licet his rei christianae ac civilis temporibus. Quum enim communis tranquillitatis osores, insolentius se in dies efferentes, quotidiano impetu eoque validissimo adnitantur Christi fidem omnemque paene societatem evertere, placuit divinae bonitati his rerum fluctibus praeclara studia pietatis obiicere. Quod quidem plane declarant et sanctissimi Cordis Iesu longe lateque propagata religio, et excitatus ardor ubique terrarum provehendi cultus Marialis, et inclyti eiusdem Deiparae Sponsi adaucti honores, et catholicorum coetus in

vario rerum genere ad omnemque fidei defensionem parati, aliaque complura, promovendo divino honori et mutuae caritati fovendae, sive amplificata, sive primum invecta. Quae quidem omnia etsi animum Nostrum suavissime afficiunt, nihilominus divinorum munerum summam hanc esse putamus, auctam in populis in Eucharistiae sacramentum religionem post habitos in eam rem coetus per haec tempora celeberrimos. Nihil enim efficacius videtur Nobis, quod alias significavimus, catholicorum animis excitandis tum ad fidem strenue profitendam, tum ad virtutes christiano nomine dignas exercendas, quam ut alantur et acuantur studia populi in admirabile illud amoris pignus, quod pacis vinculum est atque unitatis. Quum igitur tanta res maximae Nobis curae sit, quemadmodum coetus eucharisticos saepe laudavimus, ita nunc uberiorum spe fructuum permoti, faciendum ducimus ut iis patronus caelestis assignetur ex sanctis caelitibus qui in augustissimum Corporis Christi sacramentum vehementiore affectu flagrarunt. Inter eos vero, quorum ardor pietatis in praecelsum hoc fidei mysterium efferbuisse magis visus est, locum obtinet dignissimum Paschalis Baylon. Qui animum sortitus rerum caelestium apprime studiosum, postquam adolescentiam in custodia gregis transegit innocentissime, severioris vitae institutum amplexus in Ordine Minorum strictioris observantiae, eam ex contemplatione divini convivii meruit haurire scientiam, ut rudis ac litterarum expers potuerit et de rebus fidei difficillimis respondere et pios etiam libros conscribere. Idem

Eucharistiae veritatem publice palamque professus inter haereticos multa et gravia perpessus est, ac Tharsicii martyris aemulus, ad necem quoque crebro petitus. Eum denique pietatis affectum defunctus etiam retinere visus est: quippe iacens in feretro, ad duplicem sacrarum specierum elevationem, bis oculos dicitur reserasse.

Igitur apparet, coetus catholicorum, de quibus loquimur, nullius in tutela melius esse posse. Propterea qua ratione Thomae Aquinati cupidam litterarum iuventutem; Vincentio a Paulo consociationes caritatis caussâ initas; Camillo de Lellis et Ioanni de Deo aegrotos et quotquot aegrotis adiutandis dant operam, opportune commendavimus, ita, quod bonum faustumque sit et rei christianae benevertat, suprema auctoritate Nostra, praesentium vi, sanctum Paschalem Baylon peculiarem coetuum eucharisticorum, item societatum omnium a sanctissima Eucharistia, sive quae hactenus institutae, sive quae in posterum futurae sunt, Patronum caelestem declaramus et constituimus. Atque ab eiusdem Sancti exemplis patrocinioque hunc fructum fidenter petimus, ut e populo christiano quotidie plures animum, consilia, amorem ad Iesum Christum servatorem referant, omnis salutis summum augustissimumque principium. — Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae mu-

nitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVIII Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

DILECTO FILIO
CAROLO DESSAIN EQ.
MECHLINIAM

—

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quos ad Nos semel iterumque dono misisti libros, eos grato animo accepimus, tum ideo quod officii tui atque observantiae testes erant, tum quod commendabant studium, quo, typographicae artis peritia et elegantia, rei liturgicae operam novas. Utramque ob caussam iusta meritaque laude te libentes prosequimur. Ut vero ne careas pignore benevolentiae Nostrae, animumque tuum Ecclesiae Nobisque obsequentissimum confirmemus, Apostolicam benedictionem tibi familiaeque tuae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
FOEDERATARVM CIVITATVM CANADENSIVM
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

## LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Affari vos, quod perlibenter atque amantissime facimus, vix Nobis licet, quin sua sponte occurrat animo vetus et constans apostolicae Sedis cum Canadensibus vicissitudo benevolentiae consuetudoque officiorum. Ipsis rerum vestrarum primordiis comitata Ecclesiae catholicae caritas est: maternoque semel acceptos sinu, amplexari vos, fovere, beneficiis afficere numquam postea desiit. Certe immortalis vir Franciscus de Laval Montmorency, primus Quebecensium episcopus, quas res proavorum memoriâ pro salute publica felicissime sanctissimeque gessit, auctoritate gratiaque subnixus romanorum Pontificum gessit. Neque alio ex fonte auspicia atque orsus agendarum rerum cepere consequentes episcopi, quorum tanta extitit magnitudo meritorum. Similique ratione, si spatium respicitur vetustiorum temporum, non istuc commeare nisi

nutu missuque Sedis apostolicae consuevere virorum apostolicorum generosi manipuli, utique cum christianae sapientiae lumine elegantiorem cultum atque artium honestissimarum semina allaturi. Quibus seminibus multo eorum ipsorum labore sensim maturescentibus, Canadensium natio in contentionem urbanitatis et gloriae cum excultis gentibus sera, non impar, venit. — Istae sunt res Nobis omnes admodum ad recordationem iucundae: eo vel magis, quod earum permanere fructus cernimus non mediocres. Ille, profecto permagnus, amor in catholica multitudine studiumque vehemens divinae religionis, quam scilicet maiores vestri primum et maxime ex Gallia, tum ex Hibernia, mox quoque aliunde, auspicato advecti, et ipsi sancte coluerunt et posteris inviolate servandam tradiderunt. Quamquam, si optimam hanc hereditatem tuetur posteritas memor, facile intelligimus quantam huius laudis partem sibi iure vindicet vigilantia atque opera vestra, Venerabiles Fratres, quantam etiam vestri sedulitas Cleri: omnes quippe, concordibus animis, pro incolumitate atque incremento catholici nominis assidue contenditis, idque, ut vera fateamur, non invitis neque repugnantibus Britannici imperii legibus. Itaque communium recte factorum vestrorum cogitatione adducti, cum Nos romanae honorem purpurae Archiepiscopo Quebecensium aliquot ante annis contulimus, non solum ornare viri virtutes, sed omnium istic catholicorum pietatem honorifico afficere testimonio voluimus. — Ceterum de institutione laborare ineuntis aetatis, in qua et christianae et civilis rei-

publicae spes maximae nituntur, Apostolica Sedes numquam intermisit, coniuncto vobiscum et cum decessoribus vestris studio. Hinc constituta passim adolescentibus vestris ad virtutem, ad litteras erudiendis complura eademque in primis florentia, auspice et custode Ecclesia, domicilia. Quo in genere eminet profecto magnum Lyceum Quebecense, quod ornatum atque auctum omni iure legitimo ad legum pontificiarum consuetudinem, satis testatur, nihil esse quod expetat studeatque Apostolica Sedes vehementius, quam educere civium sobolem expolitam litteris, virtute commendabilem. Quamobrem summâ curâ, ut facile per vos ipsi iudicabitis, animum ad eos casus adiecimus, quos catholicae Manitobensium adolescentulorum institutioni novissima tempora attulere. Volumus enim et velle debemus omni, qua possumus, ope et contentione eniti atque efficere ut fides ac religio ne quid detrimenti capiant apud tot hominum millia, quorum Nobis maxime est commissa salus, in ea praesertim civitate quae christianae rudimenta doctrinae non minus quam politioris initia humanitatis ab Ecclesia catholica accepit. Cumque ea de re plurimi sententiam expectarent a Nobis, ac nosse cuperent qua sibi via, qua agendi ratione utendum, placuit nihil ante statuere, quam Delegatus Noster apostolicus in rem praesentem venisset: qui, quo res statu essent exquirere diligenter et ad Nos subinde referre iussus, naviter ac fideliter effectum dedit quod mandaveramus.

Caussa profecto vertitur permagni momenti ac ponde-

ris. De eo intelligi volumus, quod septem ante annis legumlatores Provinciae Manitobensis consessu suo de disciplina puerili decrevere: qui scilicet, quod leges Canadensis foederis sanxerant, pueros professione catholica in ludis discendi publicis institui educarique ad conscientiam animi sui ius esse, id ius contraria lege sustulere. Qua lege non exiguum importatum detrimentum. Ubi enim catholica religio aut ignoratione negligitur, aut deditâ operâ impugnatur: ubi doctrina eius contemnitur, principiaque unde gignitur, repudiantur, illuc accedere, eruditionis caussâ, adolescentulos nostros fas esse non potest. Id sicubi factitari sinit Ecclesia, non nisi aegre ac necessitate sinit, multisque adhibitis cautionibus, quas tamen constat ad pericula declinanda nimium saepe non valere. — Similiter ea deterrima omninoque fugienda disciplina, quae, quod quisque malit fide credere, id sine ullo discrimine omne probet et aequo iure habeat, velut si de Deo rebusque divinis rectene sentias an secus, vera an falsa secteris, nihil intersit. Probe nostis, Venerabiles Fratres, omnem disciplinam puerilem, quae sit eiusmodi, Ecclesiae esse iudicio damnatam, quia ad labefactandam integritatem fidei tenerosque puerorum animos a veritate flectendos nihil fieri perniciosius potest.

Aliud est praeterea, de quo facile vel ii assentiantur, qui cetera nobiscum dissident: nimirum non mera institutione litteraria, non solivaga ieiunaque cognitione virtutis posse fieri, ut alumni catholici tales e schola aliquando prodeant, quales patria desiderat atque expectat. Tradenda eis

graviora quaedam et maiora sunt, quo possint et christiani boni et cives frugi probique evadere: videlicet informentur ad ipsa illa principia necesse est, quae in eorum conscientia mentis alte insederint, et quibus parere et quae sequi debeant, quia ex fide ac religione sponte efflorescunt. Nulla est enim disciplina morum digna quidem hoc nomine atque efficax, religione posthabita. Nam omnium officiorum forma et vis ab iis officiis maxime ducitur, quae hominem iungunt iubenti, vetanti, bona malaque sancienti Deo. Itaque velle animos bonis imbuere moribus simulque esse sinere religionis expertes tam est absonum, quam vocare ad percipiendam virtutem, virtutis fundamento sublato. Atqui catholico homini una atque unica vera est religio catholica: proptereaque nec morum is potest, nec religionis doctrinam ullam accipere vel agnoscere, nisi ex intima sapientia catholica petitam ac depromptam. Ergo iustitia ratioque postulat, ut non modo cognitionem litterarum alumnis schola suppeditet, verum etiam eam, quam diximus, scientiam morum cum praeceptionibus de religione nostra apte coniunctam, sine qua nedum non fructuosa, sed perniciosa plane omnis futura est institutio. Ex quo illa necessario consequuntur: magistris opus esse catholicis: libros ad perlegendum, ad ediscendum non alios, quam quos episcopi probarint, assumendos: liberam esse potestatem oportere constituendi regendique omnem disciplinam, ut cum professione catholici nominis, cumque officiis quae inde proficiscuntur, tota ratio docendi discendique apprime congruat atque con-

sentiat. — Videre autem de suis quemque liberis, apud quos instituantur, quos habeant vivendi praeceptores, magnopere pertinet ad patriam potestatem. Quocirca cum catholici volunt, quod et velle et contendere officium est, ut ad liberorum suorum religionem institutio doctoris accommodetur, iure faciunt. Nec sane iniquius agi cum iis queat, quam si alterutrum malle compellantur, aut rudes et indoctos, quos procrearint, adolescere, aut in aperto rerum maximarum discrimine versari.

Ista quidem et iudicandi principia et agendi, quae in veritate iustitiaque nituntur, nec privatorum tantummodo, sed rerum quoque publicarum continent salutem, nefas est in dubium revocare, aut quoquo modo deserere. Igitur cum puerorum catholicorum institutionem debitam insueta lex in Manitobensi Provincia perculisset, vestri muneris fuit, Venerabiles Fratres, illatam iniuriam ac perniciem libera voce refutare: quo quidem officio sic perfuncti singuli estis, ut communis omnium vigilantia ac digna episcopis voluntas eluxerit. Et quamvis hac de re satis unusquisque vestrum sit conscientiae testimonio commendatus, assensum tamen atque approbationem Nostram scitote accedere: sanctissima enim ea sunt, quae conservare ac tueri studuistis, studetis.

Ceterum incommoda legis Manitobensis, de qua loquimur, per se ipsa monebant, opportunam sublevationem mali opus esse concordiâ quaerere. Catholicorum digna caussa erat, pro qua omnes omnium partium aequi bonique cives consiliorum societate summaque conspi-

ratione voluntatum contenderent. Quod, non sine magna iactura, contra factum. Dolendum illud etiam magis, catholicos ipsos Canadenses sententias concorditer, ut oportebat, minime in re tuenda iunxisse, quae omnium interest plurimum: cuius prae magnitudine et pondere silere studia politicarum rationum, quae tanto minoris sunt, necesse erat.

Non sumus nescii, emendari aliquid ex ea lege coeptum. Qui foederatis civitatibus, quique Provinciae cum potestate praesunt, nonnulla iam decrevere minuendorum gratiâ incommodorum, de quibus expostulare et conqueri catholici ex Manitoba merito insistunt. Non est cur dubitemus, susceptum id aequitatis amore fuisse consilioque laudabili. Dissimulari tamen id quod res est, non potest: quam legem ad sarcienda damna condidere, ea manca est, non idonea, non apta. Multo maiora sunt, quae catholici petunt, quaeque eos iure petere, nemo neget. Praeterea in ipsis illis temperamentis, quae excogitata sunt, hoc etiam inest vitii quod, mutatis locorum adiunctis, carere effectu facile possunt. Tota ut res in breve cogatur, iuribus catholicorum educationique puerili nondum est in Manitoba consultum satis: res autem postulat, quod est iustitiae consentaneum, ut omni ex parte consulatur, nimirum in tuto positis debitoque praesidio septis iis omnibus, quae supra attigimus, incommutabilibus augustissimisque principiis. Huc spectandum, hoc studiose et considerate quaerendum. — Cui quidem rei nihil obesse potest discordiâ peius: coniunctio

animorum est et quidam quasi concentus actionum pernecessarius. Sed tamen cum perveniendi eo, quo propositum est et esse debet, non certa quaedam ac definita via sit, sed multiplex, ut fere fit in hoc genere rerum, consequitur varias esse posse de agendi ratione honestas easdemque conducibiles sententias. Quamobrem universi et singuli meminerint modestiae, lenitatis, caritatis mutuae: videant ne quid in verecundia peccetur, quam alter alteri debet: quid tempus exigat, quid optimum factu videatur, fraterna unanimitate, non sine consilio vestro, constituant, efficiant.

Ad ipsos ex Manitoba catholicos nominatim quod attinet, futuros aliquando totius voti compotes, Deo adiuvante, confidimus. Quae spes primum sane in ipsa bonitate caussae conquiescit: deinde in virorum, qui res publicas administrant, aequitate ac prudentia, tum denique in Canadensium, quotquot recta sequuntur, honesta voluntate nititur. Interea tamen, quam diu rationes suas vindicare nequeant universas, salvas aliqua ex parte habere ne recusent. Si quid igitur lege, vel usu, vel hominum facilitate quadam tribuatur, quo tolerabiliora damna, ac remotiora pericula fiant, omnino expedit atque utile est concessis uti, fructumque ex iis atque utilitatem quam fieri potest maximam capere. Ubi vero alia nulla mederi ratione incommodis liceat, hortamur atque obsecramus, ut aucta liberalitate munificentiaque pergant occurrere. Non de salute ipsorum sua, nec de prosperitate civitatum mereri melius queant, quam si in scholarum pue-

rilium tuitionem contulerint, quantum sua cuique sinat facultas.

Est et aliud valde dignum, in quo communis vestra elaboret industria. Scilicet vobis auctoribus, iisque adiuvantibus, qui scholis praesunt, instituere accurate ac sapienter studiorum rationem oportet, potissimumque eniti ut, qui ad docendum accedunt, affatim et naturae et artis praesidiis instructi accedant. Scholas enim catholicorum rectum est cum florentissimis quibusque de cultura ingeniorum, de litterarum laude, posse contendere. Si eruditio, si decus humanitatis quaeritur, honestum sane ac nobile iudicandum Provinciarum Canadensium propositum, augere ac provehere pro viribus expetentium disciplinam institutionis publicam, quo politius quotidie ac perfectius quiddam contingat. Atqui nullum est genus scientiae, nulla elegantia doctrinae, quae non optime possit cum doctrina atque institutione catholica consistere.

Hisce omnibus illustrandis ac tuendis rebus, quae hactenus dictae sunt, possunt non parum ii ex catholicis prodesse, quorum opera in scriptione praesertim quotidiana versatur. Sint igitur memores officii sui. Quae vera sunt, quae recta, quae christiano nomini reique publicae utilia, pro iis religiose animoque magno propugnent: ita tamen ut decorum servent, personis parcant, modum nulla in re transiliant. Vereantur ac sancte observent episcoporum auctoritatem, omnemque potestatem legitimam: quanto autem est temporum difficultas maior, quantoque dissensionum praesentius periculum, tanto insistant

studiosius suadere sentiendi agendique concordiam, sine qua vix aut ne vix quidem spes est futurum ut id, quod est in optatis omnium nostrum, impetretur.

Auspicem caelestium munerum, benevolentiaeque Nostrae paternae testem, accipite Apostolicam benedictionem, quam vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

DE

COLLEGIO ATHANASIANO GRAECORVM IN VRBE

RESTAVRANDO

—

# LEO PP. XIII

## MOTV PROPRIO

Sodalium Benedictinorum Ordinem, quem Nos in fidem clientelamque Nostram suscepimus, quam benevolenti amantique animo complecteremur, amplissime superioribus annis testati sumus, quum Anselmianum Collegium in Aventino ab inchoato excitavimus. Quo quidem in opere hoc plane Nobis gratulamur quod fructus iam gigni optimos perspiciamus, quibus Ordo ipse in pristinum decus veteresque laudes restituendus certo praecipiatur.

Iam modo studii Nostri in Benedictinam Familiam propensiorisque voluntatis testimonium mens est praebere aliud: decretum nimirum habemus Collegium Athanasianum, quod iuventuti graecae ad sacra erudiendae in Urbe patet, regendum moderandumque adtribuere. Id etenim Collegium, cui Gregorius XIII decessor Noster, Ecclesiarum orientalium commodo magnifice prospiciens, in nobilissimo Urbis loco sedes amplas posuit, Nostras ad se curas con-

vertit, quod cum propositis cohaeret maxime, quae Nos diu tenemus ac peragimus in earumdem Ecclesiarum utilitatem. Siquidem, quum dudum evigilemus enixeque contendamus pro orientalium bono, in spem tum antiquae amplitudinis, tum coniunctionis, eorum qui dissident, cum Romana Ecclesia; permagni plane interest ut, qui e graecis ephebis ad sacerdotium destinantur, quorumque erit sacrorum doctrinis populares imbuere, coniunctionemque Nobiscum vel servatam firmare vel ineundam suadere ac provehere; ii ad fontem ipsum catholicam veritatem hauriant, et unitatis centrum, quod in Sede Apostolica divinitus constitutum est, venerari coram atque adamare adsuescant. Hoc igitur laboris quum Benedictinorum navitati committimus, quod carum Nobis apprime est commendamus ipsis, quantamque in eis habeamus fiduciam diligentiae ostendimus. — Quoniam vero, ut Benedictini Ordinis unitati consuleremus aptius, Abbatem Primatem eidem praeficiendum voluimus, eumque sedem Romae perpetuo habere iussimus; Primati ipsi, qui quoquo tempore fuerit, Graecorum Collegii procurationem, ex peculiari mandato Nostro, Nostroque nomine ac Successorum Nostrorum, gerendam damus, ad nutum videlicet Apostolicae Sedis et ad leges quae infra scriptae sunt.

I. Collegii aedes, quas Gregorius XIII decessor Noster fundavit; item quae Collegio bona data adtributaque fuerunt erunt, in ditione Pontificum Romanorum perpetuo sint.

II. Primas rectorem, qui Collegio praesit, propo-

net; eligendi iure Pontifici Maximo reservato. Monachi ceteri, qui Collegio adcenseantur, a Primate destinabuntur.

III. Alumnos cooptandi, item noxios indocilesve abigendi Rectori potestas erit, conscio annuenteque Primate. Monachorum vero erit ad alumnorum disciplinam adhibere curam, magisterio pietatis fungi, ephebos virtutibus, moribus sacerdotio dignis excolere.

IV. Alumni universi, excepto nemine, tum qui litteris dent operam, tum qui in philosophicas ac theologicas disciplinas incumbant, Collegii Urbaniani scholas celebrabunt.

V. Si qui epheborum recens cooptatorum scholis Urbanianis continuo frequentandis haud fuerint; iis erudiendis magisterium in Collegio adsit, quo ad maiora percipienda praeparentur. — Praeterea e Monachis designentur, quibus adiutoribus alumni ea quae in publicis scholis audierint privatim recolant. Item constituantur qui alumnos eosdem in liturgia, patrologia, iure ecclesiastico, quod apud Graecos obtinet, demum sermone graeco, tum veteri tum recentiore, quotidiano usu exercendos curent.

VI. Sacra, tam quae in communi alumnorum sacrario, seu domi seu ruri, quam quae in templo Athanasiano fiant, non nisi Graecorum ritu atque idiomate peragi fas esto. Eiusdem in perlitando ritus Monachis Collegio addictis copiam damus.

VII. Abbas Primas ad Nos de disciplina alumnorum, de studiis deque re oeconomica, dato libello, quotannis referet: cuius libelli exemplum Cardinali Praefecto

Sacri Consilii christiano nomini propagando transmittendum curabimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# LITTERAE APOSTOLICAE

## DE COLLEGIO CLERICORVM RVTHENORVM IN VRBE CONSTITVENDO

—

## LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Paternam benevolentiam, qua omnes Orientis catholicos complectimur, peculiari quodam modo *Ruthenos* promereri censemus, qui Nobis, non semel oblata occasione, praeclara amoris et obsequii testimonia exhibuerunt. Nec minora Nos iisdem praebuimus argumenta dilectionis Nostrae. Siquidem restaurationi operam dedimus vetusti Ordinis sancti Basilii Magni, cuius alumni, pietate doctrinaque conspicui, in Dominico agro excolendo et christiana plebe erudienda feliciter elaborant. Misimus Legatum Nostrum ad Synodum Leopoliensem primam; eamque agnovimus libenter. Metropolitam Leopolitanum Silvestrum Sembratowicz, ob eius praeclara merita, in amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium adlegimus; digniores e clero privilegiis atque honoribus ditavimus. — Verumtamen maius quiddam efficere erat animus, scilicet providere ut rutheni sacri ordinis alumni in hac alma urbe

ab alumnis ex natione graeca Collegii Athanasiani separarentur, eisdemque domus propria pateret, ubi Ruthenorum Collegium rite constitueretur. Id ex una parte suadebant susceptae a Nobis curae de Collegio graeco instaurando, ex altera vero utilitas ac necessitas exercendi in propria sede ritum slavicum, quem incliti Slavorum apostoli Cyrillus et Methodius invexere. — Mentem adiecimus ad Ecclesiam sanctorum Sergii et Bacchi continentesque aedes, iam ab Urbano VIII Ruthenis benigne attributas; atque eiusmodi consilium Nostrum augusto Imperatori et Regi Apostolico Francisco Iosepho patefecimus. Deo autem adiutore et auspice, quod erat in votis feliciter auspicatum est. Enimvero piissimus Imperator, eidem consilio Nostro munificentia sua libenter obsecundans, centena millia libellarum contulit, quae ad supra dictas aedes reficiendas convenienterque in usum Collegii comparandas permagno subsidio fuere. Reliquos vero sumptus tum ad aedes ipsas Collegii perficiendas, tum etiam ad continentem Ecclesiam restituendam apteque exornandam necessarios, partim sacrum Consilium christiano nomini propagando, partim Nos ipsi, tempore licet adverso, libenter suppeditavimus.

Quamobrem, auctoritate Nostra Apostolica, ad maiorem Dei gloriam, ad decus utilitatemque Ruthenae nationis, Collegium in hac Urbe clericis Ruthenis, in spem Ecclesiae erudiendis, erigimus et constituimus, eodemque iure esse volumus, quo alia Pontificia clericorum Collegia in Urbe sunt, ad leges quae infra sequuntur.

I. Collegium in ditione et potestate sacri Consilii Fidei propagandae orientalis ritus negotiis praepositi perpetuo sit; atque iisdem regiminis et disciplinae legibus, quibus antea in Collegio Athanasiano, utatur.

II. Cardinalis sacri Consilii christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo *Patronus* Collegii sit.

III. Curator seu Praeses Collegii esto, qui et adiutor ab actis sacri Consilii ad negotia Orientalium.

IV. Quum de gravioribus agatur Collegii negotiis, de iis ad Summum Pontificem referatur, eidemque Summo Pontifici quotannis de disciplina deque re familiari descriptio litteris consignata exhibeatur.

V. Quum ad rectum Collegii regimen eiusque prosperitatem summopere intersit, Rectorem ceterosque moderatores constitui, qui magis idonei atque utiles bono eiusdem videantur, quumque perspecta Nobis sit singularis diligentia, qua sodales Societatis Iesu meriti optime sunt de muneribus gestis in Collegio Athanasiano, eosdem ad nutum Nostrum benevolenti animo eligimus ad officia Rectoris et moderatorum Collegii Ruthenorum explenda.

VI. Sacerdos Ruthenae nationis, designatus a suo Archiepiscopo, a Patrono instituatur, qui in Collegii aedibus degat, quique sedulam det operam alumnis excolendis et exercendis in iis tantum, quae ad sacram Liturgiam et ad sacrorum ritus, Ruthenorum proprios, pertinent.

Quum porro maxime optemus, ut Ruthenorum Collegium sacri ordinis ministros educat vitae sanctitatem et

doctrinae catholicae decora in bonum Ecclesiae suae prae se ferentes, magnopere confidimus studiosae Nostrae in ipsum voluntati uberes alumnorum in virtute et disciplina progressus vicissim responsuros.

Denique volumus, ut hae litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVIII Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI

# EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
CYRIACO MARIAE TIT. SANCTI PETRI IN MONTE AVREO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SANCHA Y HERVAS
ARCHIEPISCOPO VALENTINO
VALENTIAM EDETANORVM

---

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod coram, pro officio episcopalis muneris atque locorum longinquitate non licuit, id praestare litteris studuisti; ut videlicet, Natali Domini redeunte, voluntatis studiique tui erga Nos significationem exhiberes, addita etiam, ad angustias Nostras levandas, petriana stipe. Pergratum plane id accidit Nobis; vota autem a te suscepta libenter habuimus, quibus a Servatore Deo tranquillitatis solatia, tot inter aerumnas quibus premimur, adprecaris. Faxit id utique auctor ipse ac restitutor pacis, Nobisque impertiat, ut ex industriis Nostris pro regni sui propagatione uberes capiamus fructus. Interea, ne grati a Nobis animi testimonium desideres, et ut valetudinem tuam

in commissi gregis utilitatem confirmet Deus, teque muneribus caelestibus cumulet, Apostolicam benedictionem tibi amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII

# APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

## LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCXCVII

## I.

DIE XXI IANVARII

AD PATRICIOS NOBILITATIS VRBANAE

Ci gode l'animo di rivedervi dopo un anno in questo luogo medesimo affratellati per consonanza di pensieri e di affetti che vi onorano. La Nostra carità non conosce, nè dee conoscere accettazione di persone, ma ella non è riprensibile se si compiace particolarmente in voi, ad intuito appunto del grado sociale che assegnato vi fu in apparenza da fatto fortuito, in verità da benigno consiglio del cielo. Come negare un particolare riguardo alla cospicuità del casato, se mostrò col fatto di averla in pregio il divin Redentore? Certo, nel suo terrestre pellegrinaggio, egli adottò la povertà, nè volle mai compagna la ricchezza: ma pure i natali suoi li elesse da stirpe regale.

Queste cose, diletti figli, vi rammemoriamo non per lusinga di folle orgoglio, ma bensì per darvi conforto ad opere degne del vostro grado. Ogni individuo e ogni ceto d'individui ha il suo

uffizio e il suo valore: dall'ordinato conserto di tutti scaturisce l'armonia dell'umano consorzio. Ciò non ostante, è innegabile che negli ordini privati e pubblici l'aristocrazia del sangue è una forza speciale, come il censo, come l'ingegno. La quale, se discordasse dagli intendimenti di natura, non sarebbe stata, come fu in ogni tempo, una delle leggi moderatrici dei fatti umani. Onde, argomentando dal passato, non è illogico inferirne che, comunque volgano i tempi, non sarà mai senza qualche efficacia un chiaro nome, chi sappia degnamente portarlo.

E di chiari nomi non è penuria fra voi: chè anzi ciascuna delle vostre famiglie ne possiede uno siffatto per virtù di antenati. A questi però, e conseguentemente a voi medesimi, crebbe dignità e lustro dall'avere intrecciato in varie guise il proprio nome colla storia del Papato. Tanto che non molte sono le case, anche illustri, di altrove paragonabili da questo lato con le romane: le quali, governate dagli influssi immediati delle somme chiavi, tanta copia di uomini segnalati fornirono alla toga, alle armi, al pastorale, alla porpora. Ma il sommo degli onori, non conseguito in proporzione da altri mai, lo deve il patriziato romano a quei che vide assunti dal suo grembo al seggio di San Pietro. — Al qual proposito, dei Colonna Ci accadde di far menzione quivi stesso, or fa un anno: ma altri non pochi Ci facevano allora e Ci fanno adesso corona, nelle cui insegne fiammeggia il riflesso fulgore della Tiara posseduta.

Se non che importante e onorando più del privilegio della nascita è l'adempimento dei doveri che essa impone. Ella, Signor Principe, Ci additava a giusto conforto il sopraggiunto risveglio di sensi cristiani. In verità segni ed argomenti di buon preludio Ci pervengono da parecchie parti della penisola. E ne siano grazie al Signore che, memore della misericordia, dalle colpe, dai disinganni, dal disagio presente, dai pericoli futuri trae cagione per destare e ammonire le menti obliviose. Questo salutare mo-

vimento ben sappiamo quanti di voi vadano da anni aiutandolo in Roma coll' opera e coll' esempio. Generoso concorso trovarono negli avi vostri le cure provvide e benefiche dei Pontefici. Similmente alle sollecitudini Nostre verso quest' alma città torna ora opportunissima la volenterosa cooperazione vostra. Non senza intimo compiacimento riconosciamo quanto debbano a voi gli utili sodalizi, le scuole dei fanciulli, gli asili dell' infanzia, la difesa stessa della verità e del buon diritto. Ma, lo vedete, i bisogni materiali e morali di Roma, anzichè scemare, persistono vivi e pressanti. La cosa dunque che maggiormente si vuole dalla operosità, dallo zelo, dalla carità vostra, si è la perseveranza, e Noi Ce la impromettiamo. Abbiate l' occhio agli eventi che maturano: e non v' esca mai di mente, che fra il crescente fermento delle cupidigie popolari la virtù schietta e costante nei primari ordini cittadini è uno dei più necessarî argomenti di difesa.

Lieti e grati del filiale omaggio, imploriamo dal canto Nostro sopra di voi e dei vostri le più elette benedizioni del cielo; e ve ne sia pegno la Nostra, che con tutta l' effusione dell' animo v' impartiamo.

## II.

DIE I MARTII

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTE CORONATIONIS DIE

La rinnovata testimonianza degli amorevoli sensi vostri Ci richiama il pensiero al giro dei diciannove anni, trascorsi in mezzo alle cure quotidiane del pontificato. Il peso è grave ed il cammino fu lungo. Iddio solo vede e discerne se all'altezza e diuturnità del Ministero abbia debitamente risposto da parte Nostra la fecondità delle opere. Ma se alcuna cosa Ci venne fatto di compiere a salute delle anime che da Noi aspettano il verbo della vita, diamone lode tutti concordemente al Signore, che mediante la sua virtù possente e benigna soccorse alla insufficienza Nostra.

Ella, Signor Cardinale, rammemorava l'unità della Chiesa, che diede argomento all'Enciclica di Giugno. Dell'alto subbietto ragionammo di proposito in quelle pagine per edificazione e conforto delle coscienze cattoliche: ma nel tempo stesso ad un altro segno avevamo particolarmente la mira. Intendevamo, aiutandoci Iddio, di far penetrare gli accenti di quella grande verità nel cuore di quanti sono fratelli nostri separati da noi. Poichè la ristorazione dell'unità cristiana, sovrano scopo della Chiesa e sospiro incessante dei pontefici predecessori, ella è similmente il più caldo voto dell'anima Nostra, essendochè lo spirito di carità sempre arde ad un modo nella Chiesa di Cristo. Ardua pur troppo è l'impresa: ma Iddio che può tutto, veglia di continuo al fianco degli Apostoli della sua verità per benedirne e fecondarne i sudori. Oltrechè, memori delle meravigliose promesse serbate alla preghiera fiduciosa e costante, gran conforto a sperare Ci por-

gono le supplicazioni che a questo intento sacrosanto migliaia di anime generose levano al cielo da ogni plaga del mondo cristiano. — E ragionando umanamente di fatti umani, l'indole de' tempi è forse più acconcia ad alimentare che ad estinguere la speranza. Poichè un moto unitivo occupa e governa le odierne generazioni: gl'incrementi della coltura vanno per ogni dove propagando omogeneità e consonanza di pensieri, costumi, aspirazioni. Fra popoli e popoli, diversi di stirpe e di eloquio, separati da oceani e continenti sterminati, corre tuttavia un vivo senso di fratellanza che altri secoli non conobbero. Ora dunque Iddio benedetto, che è sapientissimo a dedurre il bene da ogni cosa, e perfino dal male, perchè non vorrebbe coteste inclinazioni umane convertire e trasformare a beneficio della vaticinata unità della fede?

Nè altro intendimento che di rimuovere uno degli ostacoli alla desiderata unione, Ci mosse, non ha guari, a sentenziare circa il valore teologico delle Ordinazioni anglicane. Trattavasi di cosa già autorevolmente risoluta nella sostanza: v' ebbe però in questi ultimi anni chi s' argomentò di revocarla in questione. Polemiche intempestive ingeneravano il dubbio: il dubbio spandeva illusioni negli uni, confusione e turbamento di coscienza negli altri. È ben vero che a cessare inconvenienti siffatti bastata sarebbe l'interpretazione ovvia e leale dei giudicati anteriori. Ma tuttavia per dar più lume da un lato a chi errava in buona fede, e per tagliare dall' altro ogni strada alle tortuosità del sofisma, deliberammo di ripigliar da capo la disamina dei fatti con le loro circostanze. Lo studio, condotto sopra documenti irrepugnabili, fu lungo, imparziale, accurato, quale doveva aspettarsi dalla Santa Sede in un negozio di tanto rilievo. Onde, se potesse questa Nostra parola farsi udire ai figli dell' Impero Britannico che non partecipano alla fede nostra, li vorremmo scongiurare per le viscere di Gesù Cristo di non dar luogo a false apprensioni e sospetti; ma persuadersi che la sola inflessibilità del dovere Ci dettò quella

sentenza, la quale altro non è che il pronunziato della verità schietto e definitivo.

E in opera di concordia ella Ci richiama pure, Signor Cardinale, a ciò che prudente zelo Ci consigliava anni sono in ordine ai Nostri figli di Francia. In quel provvedimento la mira Nostra, intesa ai grandi interessi spirituali, sorvolava alla politica e alle sue contese. Ciò che Ci stava e che Ci sta unicamente a cuore, si è togliere di mezzo la discordia degli animi non infruttifera soltanto, ma nociva alla causa della religione e della Chiesa. Scarso ed inefficace all'uopo sarebbe stato un suggerimento generico: bisognava opportunamente confortarlo di norme pratiche. Additammo dunque il campo costituzionale e legale, dove cooperasse ciascuno al comun bene religioso e morale. Secondò il senno e il buon volere di molti: ma se la concordia fosse piena ed intera, e uniforme l'azione, quanta copia di frutti ne coglierebbero la Francia e la Chiesa?

Cura di minor conto, ma utile per altri rispetti anch'essa, fu il restauro novissimo delle aule Borgia: aule celebrate dalla fama per i dipinti dell'Umbro artista, che tanta orma del suo valore lasciò impressa quivi particolarmente e a Siena. — L'arte è congiunta per vincoli indissolubili col cristianesimo, perchè nuove ispirazioni ella trovò nella fede, e tutela generosa nella Chiesa e nei Papi. Folle il pensiero che i liberi voli del genio mal si accordino colla immutabilità del dogma. Basta il Vaticano a mostrare in atto il meraviglioso connubio della bellezza vera con la vera religione.

Si abbia il sacro Collegio la significazione del grato animo e del paterno affetto Nostro, insieme colla benedizione Apostolica; la quale similmente impartiamo ai Vescovi, ai Prelati, e a quanti altri sono qui presenti.

# III.

DIE VII AVGVSTI
AD GALLIAE OPIFICES
PIE IN VRBEM PEREGRINATOS

Au milieu des difficultés et des épreuves de Notre Ministère Apostolique, le Seigneur, toujours bon et secourable, Nous ménage de touchantes consolations qui soutiennent et fortifient Notre vieillesse, et ouvrent Notre cœur à la douce espérance d'un avenir heureux pour l'Eglise et pour la société. Il Nous est donné aujourd'hui d'éprouver une indicible joie en Nous voyant environné par vous, enfants de la France, qui avez laissé votre patrie, et qui, sous la conduite d'hommes pieux et à vous tout dévoués, êtes venus pleins de foi et d'amour, dans la ville éternelle, afin d'offrir vos hommages au Vicaire de Jésus-Christ et recevoir sa bénédiction.

C'est avec une vive tendresse que Nous vous accueillons, vous, les représentants de la classe ouvrière, si digne de Notre paternelle sollicitude; vous, les fils de cette généreuse France à laquelle, vous le savez, Nous portons une constante et spéciale affection, parce que, malgré les erreurs et les aberrations individuelles, elle n'a jamais cessé et ne cesse de manifester son admirable charité et son énergie pour la noble cause de la religion et de la civilisation.

Nous trouvons opportun aujourd'hui de rappeler à vos souvenirs les principes d'équité et de justice qui seuls peuvent donner la solution de la question sociale.

Non seulement vous les connaissez, mais, grâce à Dieu, vous les avez mis en pratique, trouvant en eux une solide et constante garantie d'harmonie et de paix dans les relations quotidiennes entre vous et vos patrons. Ce qui est une grande consolation pour Nous, parce que si, d'une part, Nous avons eu constamment pour objectif, pendant Notre pontificat, d'assurer à la religion le respect qui lui est dû, en défendant de tout Notre pouvoir ses droits sacrés et en la plaçant au-dessus des contingences et des intérêts secondaires des partis, comme un phare lumineux qui doit éclairer la voie de l'humanité; d'autre part, Nos efforts ne furent pas moins constants et énergiques pour éloigner les graves périls et les terribles conflits qui menacent la société, et pour fortifier partout le règne de la justice et, par son moyen, l'ordre, le bien-être et la tranquillité des peuples.

C'est pourquoi Nous vous adressons de tout cœur, à vous ouvriers catholiques de France, Nos félicitations et Nos encouragements. A vous, Nous n'avons qu'à dire: soyez fermes dans vos bons propos; continuez, toujours dociles à la direction de vos pasteurs respectifs, à aimer et à pratiquer la religion, source intarissable de consolation et de courage dans les luttes et les tribulations de la vie; enfin, évitez avec soin le contact d'hommes dangereux, qui convoitent la solution si difficile du problème social dans la destruction des lois inviolables sur lesquelles posent la propriété, la famille et l'humanité toute entière. De tels hommes ne feront que fomenter des luttes incessantes, accumuler des ruines et rendre plus dure et plus pénible la condition des ouvriers.

Il Nous est doux d'exprimer Notre satisfaction à cette belle et nombreuse réunion de prêtres français, que Nous contemplons ici autour de Nous, unis au pélerinage ouvrier. Leur présence Nous est agréable, parce que Nous savons qu'ils se dévouent et par la parole et par les œuvres à promouvoir le bien moral et matériel des ouvriers, en dissipant les équivoques, en in-

culquant la concorde et en faisant pénétrer, dans leur classes, les règles de la vie chrétienne, qui sont le moyen le plus puissant pour résoudre le problème, qui les préoccupe. Nous avons la douce confiance que sous la sage direction de l'Episcopat ils continueront cette belle et noble mission, en se montrant de plus en plus charitables et empressés pour les plus pauvres, les plus faibles et les plus souffrants, qui sont la portion la plus aimée de Notre Seigneur et de l'Eglise, héritière de sa divine charité.

Et maintenant, en retournant dans votre beau pays et dans vos chères familles, répandez autour de vous la bonne semence et montrez à tous par l'esprit de discipline et de réserve, par la bonne et saine éducation de vos enfants, par une conduite irréprochable, que vous êtes des ouvriers vraiment chrétiens, de dignes fils de l'Eglise catholique et de la France. Nous vous accompagnerons de Nos vœux et de Nos prières, afin que le Seigneur vous assiste, vous protège et vous console dans tout le cours de votre vie. — Et comme gage de cette protection du ciel et de Notre paternelle bienveillance, Nous accordons de tout cœur à vous, à vos épouses, à vos enfants, à vos familles, comme aussi à vos patrons et à tous qui sont ici présents, prêtres et laïques, la bénédiction Apostolique.

# IV.

DIE XXIII DECEMBRIS

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTIBVS NATALIS CHRISTI SOLLEMNIBVS

Sia lode alla divina bontà che Ci ha serbati a rivedere la cara solennità del Natale: e sieno grazie al sacro Collegio, che ne toglie occasione di offrirci una volta di più l'omaggio della devozione sua: devozione che trova ognora dal canto Nostro il più largo ricambio d'affetto. — Raccogliamo volentieri dal suo labbro, signor Cardinale, il voto santo e pietoso in ordine al regno della pace: prezioso bene e fecondo, che per coscienza di spirituale paternità Noi siamo i primi a pregare con grande istanza dal cielo al mondo universo. Vero è che, considerato nell'ampiezza di tutte le sue attinenze, il problema della pace non troverà mai soluzione compiuta quaggiù, essendo scritto nei decreti della Provvidenza che milizia dev'essere la vita dell'uomo sopra la terra. Le passioni, che tutto scompigliano, non sono separabili dalla umana natura caduta. Havvi però una quiete dello spirito ed anche un vivere esteriore riposato e composto, assai ben conciliabili collo stato militante, e consistono sostanzialmente nella tranquillità dell'ordine. Per tal rispetto la pace relativa, consentita all'umanità viatrice, non è nè può essere che figlia della giustizia e dell'amore. Tale è appunto quella preconizzata un dì dall'angelico bando sull'alto del presepio di Betlem, ignota ai secoli pagani. Essa è uno degli inestimabili frutti dell'umano riscatto, ed ha sua radice, com'ella ben argomenta, signor Cardinale, nell'osservanza delle

leggi e degli esempî lasciatici da Gesù Cristo redentore. E come l'uomo non la conobbe che per lui, così la smarrisce ogni volta che si allontana da lui. Poichè essendo la legge di Dio verità nell'ordine intellettuale, santità nell'ordine pratico, da lei germoglia la pace ineffabile della monda coscienza, da lei quello spirito celeste di sopportazione e carità, che spegne dove che sia il fuoco delle ire fraterne: sensi di moderazione e beneficenza mette in cuore ai doviziosi, ai potenti: e infonde agli umili e ai diseredati del mondo quella serena rassegnazione, che si alimenta e conforta nella sicura speranza di promesse eternali. Cosicchè perdendo di vista la divina legge, viene a mancare la massima delle virtù mantenitrici dell'ordine morale, e il verace fondamento di ogni tranquillità. Ecco donde procede il fatto giornaliero del disagio e delle irrequietudini che tormentano la generazione contemporanea. Acclamasi la pace fra le nazioni culte: ma pace vera non è, nè può essere, perchè in troppe cose camminasi lungi da colui che solo può darla. Poseranno forse le armi, taceranno i conflitti palesi, ma immoderate voglie, ambiziosi appetiti, diffidenze, gelosie non taceranno mai in fondo ai cuori, se non torni a regnarvi con la fede e la legge sua Gesù Cristo. E dacchè la vera fede di Cristo non è che una, comprendasi che quando la Chiesa, madre comune, si studia di richiamare amorosamente tutte le genti al suo grembo, ella fa opera non soltanto religiosa, ma altamente civile.

Se non che, al paragone di altre contrade, una causa perturbatrice di più travaglia da non pochi lustri la Penisola nostra. Alludiamo al dissidio, che lamentammo altre volte anche da questo luogo, dello Stato colla Sede Apostolica. Potranno non darsene pensiero gli spiriti partigiani o leggieri: ma chi giudichi con animo imparziale e con retto senso, non può non vederne i danni ed augurarne la fine. È forse un argomento di tranquillità questa Nostra condizione inaudita che pur tiene in commozione quanti

novera da un polo all'altro della terra figli devoti la Chiesa? O sarebbe guarentigia di sicurezza questa clamorosa rottura con le memorie, i sentimenti, la legge storica delle genti italiane? Poichè, non vale il dissimularlo, la presente condizione di ostilità rispetto al Pontefice ripugna, non che altro, alle tradizioni e perfino al genio nazionale: perciò non avrà mai il suffragio della pluralità degli Italiani, cattolici nell'anima, avvezzi a guardare al pontificato come a propugnacolo di salute e grandezza, e a considerarlo come capo e cuore della nazione. Se dunque mostrano di sentire che l'unità politica non basta a farli più prosperi; se cercano come per istinto conservativo di stringersi viepiù al seggio di San Pietro; se restituito alla debita indipendenza e reintegrato ne' suoi diritti vogliono il Pontefice, male è non comprendere l'indole vera di tali intendimenti: peggio ancora confondere in un fascio cittadini pacifici e fazioni sovvertitrici. Ma per inveterate che siano le false preoccupazioni, non può sfuggire ai più assennati la providenziale economia onde quasi in solido con la Sede Apostolica son connesse le sorti della Penisola, e conseguentemente l'errore d'aver posto la causa italiana in così aperto contrasto con le ragioni del papato. Quando mai però fu disdicevole ad uno Stato l'entrare nella via delle giuste riparazioni? E nel presente caso niuno può misurare col pensiero gli effetti morali e materiali che ne seguirebbero.

Invochiamo le più copiose benedizioni del cielo sul sacro Collegio, e ne sia come auspicio l'Apostolica benedizione che di gran cuore accordiamo ad esso, ai Vescovi, ai Prelati e a quanti sono qui presenti.

# INDEX

## MDCCCXCVII

Epistola « *Nuperrime* » die 6 Ianuarii ad Franciscum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensem. — Vicesimo quinto exeunte anno ex quo monumentum templi votivi condi coeptum est sacratissimo Cordi Iesu in Monte Martyrum, consilium probat Pontifex sollemnibus caeremoniis celebrandi tam fausti memoriam facti. — Ipsi Archiepiscopo potestatem facit ut in eodem templo votivo, constituta die, Apostolicam benedictionem cum plenaria admissorum indulgentia solemni ritu populo impertiat; et alia sacrae indulgentiae munera benigne concedit. . . . Pag. 1

Epistola « *Obsequii et amoris* » die 10 Ianuarii ad Archiepiscopum Pisanum. — De sacris sollemnibus, in magnam Dei Matrem proxime a Pisanis celebrandis, magnopere laetatur, uberesque ex iis pietatis fructus sperat. . . . . » 5

Litterae Apostolicae « *Quod Romani Pontifices* » die 18 Ianuarii; quibus Seminarium Vaticanum cum Scholis canonice constituitur . . . . . » 7

Epistola « *Lucubrationibus ceteris* » die 22 Ianuarii ad Salvatorem Brandi e Soc. Iesu. — Lucubrationem ab ipso editam ad illustrandam tuendamque sententiam superiore anno latam de ordinationibus anglicanis, grate Se habuisse testatur . . » 16

Constitutio Apostolica « *Officiorum ac munerum* » die 25 Ianuarii; de prohibitione et censura librorum . . . . . » 17

Epistola « *Magisterii tui* » die 7 Februarii ad Ioannem Baptistam Ceschi a Sancta Cruce, Magnum Ordinis Hierosolymitani Magistrum. — Ipsi annum quintum et vicesimum magni magisterii proxime expleturo, ex animo gratulatur; virtutesque eius, et eximium in Apostolicam Sedem studium, atque egregia in Ordinem ipsum promerita summopere commendat . . . . . Pag. 37

Litterae Apostolicae « *Ex hac* » die 12 Februarii; quibus Vicariatus Apostolicus Nyassae in Africa erigitur . . . . . » 39

Epistola « *Curarum* » die 13 Februarii ad Vincentium Molo, Episcopum tit. Callipolitanum, Administratorem Apostolicum ditionis Ticinensis. — Eum laudat quod optatis Suis de voluntatum coniunctione inter catholicos Ticinensis ditionis fovenda studiose sapienterque obsecundaverit; atque ut coeptis alacri animo insistat vehementer hortatur . . . . . » 42

Litterae Apostolicae « *In Petri Cathedra* » die 15 Februarii; de nova circumscriptione et erectione Sedium Episcopalium in Argentina republica . . . . . » 44

Decretum « *Ssmo Domino Nostro* » S. C. Consist. die 17 Februarii; quo nonnullae paroeciae ab archidioecesi de Antequera seiunguntur, et dioecesi Tehuantepecensi addicuntur. . . » 53

Epistola « *Quod beati Idesbaldi* » die 19 Februarii ad Episcopum Brugensem. — Vehementer optat ut, beato viro Idesbaldo exorante, quem fidei ardorem, nuperae celebritatis caussâ, Brugenses concepere, in dies illum augeant, dignisque catholico nomine operibus alant. . . . . » 56

Epistola « *Theologicas disciplinas* » die 19 Februarii ad Clinum Crosta, sacerdotem. Volumina ab ipso de re theologica paullo ante edita, obsequentique officio oblata, libenti gratoque animo Sese accepisse testatur . . . . . » 58

Epistola « *Postquam Nos* » die 22 Februarii ad Ernestum Commer, sacerdotem, doctorem theologiae tradendae in R. Universitate Vratislaviensi. — Nova quatuor volumina *Annalium philosophicis ac theologicis disciplinis provehendis*, ab ipso aliisque doctis viris edita, pergrata Sibi accidisse significat. — Tum ipsum, tum socios peculiari exornat laude, enixeque hortatur ut Aquinatis doctrinis latius proferendis suoque in honore servandis alacrem dare operam pergant . . . . . Pag. 60

Epistola « *Catholicae fidei* » die 8 Martii ad Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem. — Sancti Adalberti memoriam, nono ab eius obitu vertente saeculo, sollemni celebritate, praesertim apud Gnesnenses, proxime instauratum iri valde gaudet, uberesque christianae pietatis fructus sperat. — Munera addit sacrarum indulgentiarum. . . . . » 62

Epistola « *Quamquam* » die 14 Martii ad Episcopum Trevirensem. — Datam ab ipso paulo ante epistolam iucundissimum Sibi solatium, non uno nomine, attulisse significat . . . » 64

Epistola « *Optatus sane* » die 15 Martii ad Laurentium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Schlauch, Episcopum Magnovaradinensem. — Quinquagesimum sacerdotii natalem proxime celebraturo ex animo gratulatur; caelestiumque munerum ubertatem exoptat . . . . . » 66

Epistola « *Experiendo novimus* » die 15 Martii ad Episcopum Foroliviensem. — Ex conventu societatum catholicarum in ea civitate proxime habendo haud exiguas utilitates sperat, omniumque, qui in coetu aderunt, studia bene precando exacuit . . . . . » 68

Epistola « *Pergratum* » die 15 Martii ad Michaëlem Rua, Moderatorem piae Societatis a S. Francisco Salesio. — Gratias ipsi eiusque sodalibus de oblatis voluminibus agit, meritamque de egregia voluntate laudem eisdem impertit . . . . . » 70

*

Epistola « *Cum per Nos ipsi* » die 17 Martii ad Franciscum Gasquet, sodalem Benedictinum. — Studium diligentiamque eius in pertractatione historiae, nominatim Britannicae, summopere laudat, eumdemque vehementer hortatur, ut pergat multum pro veritate contendere; opinationesque de Ecclesia et de Pontificatu romano praeposteras, scribendo convincere. . PAG. 71

Epistola « *Nulla sane* » die 29 Martii ad Adolfum Ludovicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Perraud, Episcopum Augustodunensem. — Pergratum Sibi accidisse scribit nuncium de futuro conventu Eucharistico in Paraiensi Aede habendo, loco tam celebri ob manifestationem religionis divini Cordis Iesu. » 73

Epistola « *Si quid grati* » die 3 Aprilis ad Reginaldum Sarthou, sodalem Dominicanum, in Insula Tobagum. — Litteras officii plenas, ab ipso una cum fidelibus ab haeresi ad catholica sacra traductis, paullo ante missas, haud exigui solatii caussam Sibi attulisse scribit. — Novos ipsos fideles peramanter in Domino complectitur, eorumque pietatem paterna hortatione fovet. » 75

Litterae Apostolicae « *Quum ex apostolico munere* » die 6 Aprilis; quibus residentia dioecesis Iacobopolitanae a civitate *Jamestown* in civitatem *Fargo* transfertur, et inde titulus in Fargensem mutatur. . . . . » 77

Epistola « *Quae Nobis* » die 8 Aprilis ad Aloisium Marini Sac., Rectorem *Consociationis Apostolicae* Presbyterorum saecularium in Italia. — Pii instituti opportunitatem utilitatemque commendat; simulque sacerdotes hortatur, ut societati ipsi dent nomen . . . . . » 79

Epistola « *Litteras accepimus* » die 9 Aprilis ad Lucidum Mariam S. R. E. Cardinalem Parocchi, Suum in Urbe Vicarium. — Consilium probat a quibusdam catholicis hominibus initum, sacra sollemnia peragendi ob memoriam sancti Ludovici, Episcopi Tolosatium, sexto vertente saeculo ab eius obitu . . . » 81

Epistola « *Nous avons accueilli* » die 12 Aprilis ad Serenissimum Principem *Muzeffer Ed-Dine, Schah de Perse.* — Legatum extraordinarium ab ipso paullo ante missum, nunciatum eius ad summum principatum adventum, perhonorifice a Se peramanterque exceptum fuisse significat. — Magnopere, ea ipsa occasione, eluxisse eius studium retinendae augendaeque concordiae veteris inter Persarum reges et Apostolicam Sedem. — Fausta ipsi ac felicia cuncta exoptat, et musivum opus dono mittit . . . . . PAG. 82

Epistola « *Dioecesana synodo* » die 13 Aprilis ad Episcopum Capitis Haitiani, Administratorem Apostolicum Portus Pacis. — Officiosas litteras ab ipso et a clero, Synodo dioecesana peracta, communiter datas, grate Se habuisse testatur. — Studium commendat, quo gentibus illis iuvandis religiosaeque rei proferendae strenue ipsi adlaborant . . . . . » 84

Epistola « *Tuas litteras* » die 13 Aprilis ad Felicem Charmetant, Sac. — Industriam caritatis eius in Armenorum subsidium merita prosequitur laude; vehementerque optat ut catholici homines coeptis eius large obsecundent. . . . . » 86

Litterae Apostolicae « *Apostolici ministerii* » die 14 Aprilis; quibus episcopalis sedes Montisvidei ad Archiepiscopalis et Metropolitanae Ecclesiae gradum evehitur, et novae dioeceses Saltensis et Melensis eriguntur. . . . . » 87

Litterae Apostolicae « *Trans Oceanum Atlanticum* » die 18 Aprilis; de privilegiis Americae latinae. . . . . » 100

Allocutio « *Laetabilia* » habita in Consistorio die 19 Aprilis. — De caussa agit Canonizationis beatorum caelitum Antonii Mariae Zaccaria et Petri Fourier, eaque de re sententias rite exposcit S. R. E. Cardinalium, — Tum quatuor spectatos viros in amplissimum eorumdem Collegium cooptat, videlicet: Iosephum Mariam Martin de Herrera, Archiepiscopum Com-

postellanum; Petrum Coullié, Archiepiscopum Lugdunensem; Iosephum Gulielmum Labouré, Archiepiscopum Rhedonensem; Gulielmum Mariam Sourrieu, Archiepiscopum Rothomagensem. . . . . Pag. 108

Epistola « *Vota et gratulationes* » die 20 Aprilis ad Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum. — Litteras amoris et officii plenas, nomine etiam Antistitum universaeque gentis chaldaici ritus, ab ipso datas, perlibenter Sese accepisse testatur; Suamque erga orientales populos paternam voluntatem studiumque confirmat . . . . . » 113

Epistola « *Virtuti meritisque tuis* » die 1 Maii ad Archiepiscopum Neapolitanum. — Diligentiam sollertiamque eius in dioecesi Stabiensi administranda, diu et praeclare probatam, merita laude exornat; vehementerque confidit pari ipsum studio in Neapolitana Ecclesia moderanda elaboraturum . . . . . » 115

Epistola « *Quam praecipua* » die 3 Maii ad Nicolaum Marini, Protonotarium Apostolicum ad instar Participantium. — Periodicum libellum, qui *Bessarion* inscribitur, eius aliorumque eruditorum virorum curis editum, non uno nomine commendat, eosdemque enixe hortatur ut coeptis alacres insistant. . » 117

Epistola « *Placet Nobis* » die 5 Maii ad E. Vacandard, Sac. — Opus, ab ipso editum, de factis sancti doctoris Bernardi deque eius aetate gestis, valde gratum Sibi accidisse significat, paternamque Suam ipsi benevolentiam testatur . . . . . » 119

Epistola « *Tuas litteras* » die 7 Maii ad Alphonsum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Capecelatro, Archiepiscopum Capuanum. — Quinquagesimum sacerdotii natalem, clero populoque communicante laetitiam, proxime celebraturo, maiorem in modum gratulatur; libenterque concedit, ut sacra ipse sollemniter facturus papalem benedictionem populo impertiat . . . . . » 120

Litterae Apostolicae « *Quae catholico nomini* » die 8 Maii; quibus Vicariatus Apostolicus Arizonae in Dioecesim « Tucsoniensem » erigitur . . . . . Pag. 122

Epistola Encyclica « *Divinum illud munus* » die 9 Maii; de Spiritu Sancto. — Per sollemnia proxima sacrae Pentecostes deliberatum Sese habere scribit, de praesentia et virtute mirifica agere Spiritus Sancti; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat, efficiatque, praeclarâ copia charismatum supernorum. — Principio nonnulla attingit de Triadis sacrosanctae mysterio, quod *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur. — In scribendo aut dicendo de Trinitate prudentiâ modestiaque summa opus esse, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur, vel unica in ipsis natura separetur. — Plura sapienter hac in re statuisse Ecclesiam. — Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magis magisque in christiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti exponendam orationem convertit. — Ac primo quidem Incarnati Verbi mysterium, etsi totius Trinitatis opus, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribi. — Divini Spiritus operâ non solum conceptionem Christi effectam esse, sed eius quoque sanctificationem animae, quae *unctio* in sacris litteris nominatur: atque adeo omnem eius actionem *praesente Spiritu* peractam, praecipueque sacrificium sui. — Spiritus Sancti et praesentiâ conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplicem eiusdem Spiritus praesignificatam missionem, eam quae in Ecclesia manifesto patet, et eam quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur. — Die celeberrima Pentecostes beneficia sua Spiritum Sanctum in mystico Christi corpore prodere coepisse: tum perennem vitam ac virtutem ab eo suppetere, quae Ecclesiam conservat atque auget. — Ab ipso constitui Episcopos, eorumque ministerio sacerdotes: utrosque autem insigni Spiritus munere id habere ut peccata pro potestate deleant. — Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praecla-

rius constare, quam charismatum, quibus undique ornatur, splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. — Ad animos singulorum quod attinet, hanc pariter Spiritus Sancti effusionem tantae esse copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo amni similem dixerit. — In Baptismi sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabi primum Spiritum Sanctum; uberiusque per sacram Confirmationem, ad constantiam et robur christianae vitae, sese dono dari eumdem Spiritum. — Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertatem munerum caelestium multis mirisque modis consequi. — Plura demum ad fovendum Spiritus Sancti cultum, monendo hortandoque, edicit. Munera addit sacrae indulgentiae in perpetuum, per sollemnia Pentecostes, a fidelibus lucranda . . . . . Pag. 125

Litterae Apostolicae « *Dilectus* » die 27 Maii; quibus Beato Antonio Mariae Zaccaria, Clericorum Regul. S. Pauli et Virginum Angelicarum Fundatori, Sanctorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 149

Litterae Apostolicae « *Hoc mandatum* » die 27 Maii; quibus Beato Petro Fourier, Canonico Regul., Congregationis Salvatoris Nostri Reformatori, atque Monialium Dominae Nostrae Institutori, Sanctorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 171

Homilia « *Consurgere animos* » habita in Basilica Vaticana die 27 Maii, inter sollemnia Canonizationis beatorum caelitum Antonii M. Zaccaria et Petri Fourier . . . . . » 191

Epistola « *Communes litteras* » die 31 Maii ad Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari, Archiepiscopum Mediolanensem. — Concilium Provinciale, trium saeculorum spatio desideratum, ab ipso eiusque Suffraganeis proxime celebratum iri laetatur, uberesque ex eo fructus sperat . . . . . » 194

Decretum « *Cum inter* » S. C. Consist. die 1 Iunii; quo Sanctua-

rium Sanctae Mariae de Stella ordinariae iurisdictioni Abbatiae Sanctissimae Trinitatis Cavensis subiicitur. . . . . Pag. 196

Epistola « *Officium* » die 9 Iunii ad Americum S. R. E. Presbyrum Cardinalem dos Santos Silva, Episcopum Portugalliensem. — Ecclesiarum quotidie augescentibus necessitatibus, quibus a Christi Vicario paterna caritate consulendum est, dioecesis Portugalliensis studium in petriana stipe offerenda peculiari commendatione prosequitur. . . . . » 199

Epistola « *Le prestige* » die 10 Iunii ad Victoriam Angliae Reginam et Indiarum Imperatricem. — Ipsi annum sexagesimum ab inito regno, communi subditorum laetitia, celebranti, ex animo gratulatur. — Constantem eius erga catholicos britannico imperio subiectos benevolentiam maiorem in modum commendat. . . . . » 201

Epistola « *In iis* » die 21 Iunii ad Aloisium a Parma, Minorum Franciscalium Generalem Magistrum. — Vix inito Pontificatu, Sese animum studiose adiecisse ad piam Tertiariorum Franciscalium sodalitatem provehendam, atque in tantis nostrae aetatis incommodis spem sublevationis non exiguam in ea ipsa collocasse. — Pergrata Sibi proinde accidisse pietatis et amoris officia ab iis qui sunt ex eodem Ordine, paulo ante, undique delata. — Sodalium studia hortando, bene precando, exacuit. » 203

Epistola « *Abrogata* » die 22 Iunii ad Episcopum Massiliensem. — Eum laudat quod, abrogata, quae toto fere saeculo inoleverat, consuetudine, in mores dioecesis suae induxerit ut pueri antequam divino Eucharistiae epulo reficiantur, Confirmationis sacramentum suscipiant; vehementerque optat, ut quae sapienter ab ipso constituta sunt, fideliter perpetuoque serventur . . . . . » 205

Epistola « *Quod viri catholici* » die 30 Iunii ad Cyriacum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sancha y Hervas, Archiepiscopum

Valentinum. — Valde laetatur coaluisse in Hispania optimae voluntatis hominum societatem ad Massonum impietatem, coniunctis viribus, propulsandam; Deumque adprecatur, ut communia ipsorum studia in hispanae gentis utilitatem large effuseque fortunet . . . . . Pag. 207

Litterae Apostolicae « *Quae rei sacrae* » die 1 Iulii; de nova delimitatione dioecesium Leavenworthiensis, Wichitensis et Concordiensis . . . . . » 209

Epistola « *Libet quidem* » die 5 Iulii ad Aloisium S. R. E. Cardinalem Oreglia a Sancto Stephano, Episcopum Ostiensem et Veliternum, Decanum Sacri Collegii. — Ipsi scribit, sed intelligi universe vult de venerabilibus fratribus Cardinalibus et Episcopis, qui magno numero, extremo mense Maio, caeremoniis sanctissimis in Basilica Vaticana peractis, interfuere, quique per eam occasionam litteras Sibi dedere observantissimas. — Ex iis luculentius apparuisse, qui in christiana re administranda versantur, eos esse omnes obsequio, caritate mutua, similitudine consiliorum, cum Pontifice maximo coniunctos. — Hac in re utique consentire e multitudine christiana longe plurimos. — De reconciliatione orientalium gentium et quotquot sunt qui de fide dissentiunt, valde Se amasse pietatem desiderii ipsorum, planeque confidere alacrem ipsos daturos operam, ut conata Sua adiuvent per artes omnes christianae caritatis. — Inter incepta tantarum rerum apparere quotidie magis, necesse esse ut Apostolica Sedes in eam conditionem, quam divina providentia pepererat, restituatur. — Sese perseveraturum vim Pontifici illatam conqueri, et sanctissima Apostolicae Sedis iura repetere. . . . . » 212

Epistola « *Quoniam* » die 7 Iulii ad Episcopum Iaciensem. — Vicesimum quintum episcopatus natalem proxime celebraturo gratulatur; eumque sacro Pallio, privo munere, exornat. . » 215

Epistola « *Quod opus* » die 7 Iulii ad Hartmannum Grisar

Soc. Iesu. — Bina iam edita ab ipso volumina operis de Pontificibus et urbe Roma media aetate labente, libenti gratoque animo Sese accepisse testatur; ac valde optat, ut Ecclesiae et Pontifici strenuam probare operam pergat . . . Pag. 217

Decretum « *Ad Ssm̃um Dominum Nostrum* » S. C. Consist. die 16 Iulii; de nova finium designatione inter archidioecesim sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii et dioeceses Petropolitanam et Mariannensem. . . . . » 218

Epistola « *Quae februario mense* » die 24 Iulii ad Vincentium Molo, Episcopum Callipolitanum, Administratorem Apostolicum ditionis Ticinensis. — Datas ipsi antea litteras commemorans, catholicos Ticinenses ad plenam animorum concordiam, iterata hortatione, excitat . . . . . » 225

Litterae Apostolicae « *Supremum* » die 28 Iulii; quibus dioecesis Zuliensis in Republica de Venezuela erigitur. . . . . » 227

Litterae Apostolicae « *Suavi quodam* » die 28 Iulii, de centenariis sollemnibus sancti Ludovici Archiepiscopi Tolosani. . . » 237

Litterae Apostolicae « *Ad supremum* » die 28 Iulii; quibus Oceaniae Insulae « Gilbert » nuncupatae, una cum aliis insulis in Vicariatum Apostolicum constituuntur . . . . . » 240

Epistola « *Quod patriae caritas* » die 28 Iulii ad Episcopum Balneoregiensem. — De erecta, loco publice dato, in ea civitate sancti Bonaventurae statua magnopere laetatur, deque delato Sibi a Balneoregiensibus obsequii et amoris officio gratias rependit. . . . . » 242

Epistola « *Leodiensis dioecesis* » die 29 Iulii ad Episcopum Leodiensem. — Exploratae Leodiensium pietati laudem impertit, deque oblata ab ipsis petriana stipe gratum animum testatur. . . . . » 244

Epistola « *Communis omnium* » die 30 Iulii ad Iosephum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sarto, Patriarcham Venetiarum. — Magnopere gaudet auctam catholicorum italicorum pietatem et christianae rei vindicandae tuendaeque studium; nominatimque sacrosanctae Eucharistiae, insuetis antea incrementis, religionem invaluisse. — Pergratum Sibi accidisse nuncium de conventu eucharistico, Venetiis proxime habendo. — Quae sapienti consilio constituta sunt, in ipso coetu agitanda, laetos uberesque fructus portendere. — Universis, qui in eo aderunt, divinorum munerum copiam ex animo adprecatur. PAG. 246

Epistola Encyclica « *Militantis Ecclesiae* » die 1 Augusti; de memoria saeculari B. Petri Canisii. — Praesentem aetatem similitudines quasdam referre scribit eius temporis, in quod incidit Canisius, quum novarum rerum cupidinem et liberioris doctrinae cursum ingens iactura fidei sequeretur morumque perversitas. — Utramque pestem praesertim a iuventute propulsandam curasse alterum illum post Bonifacium Germaniae Apostolum. — Eximia ipsius in religionem atque in patriam suam promerita commemorat. — Nominatim ad institutionem iuventutis quod attinet, sacris disciplinis tradendis in Coloniae, Ingoldstadii, Viennae Academiis egregiam dedisse operam. — Neque eumdem puduisse a sapientiae fastigio ad litterarum initia descendere et pueros erudiendos suscipere, editis etiam in eorum usum litterariis libris atque grammaticis. — Plura etiam conscripsisse tum ad fidem pietatemque populi roborandam, tum ad imbuendos religione vel rudiores pueros, vel adolescentes qui in litterarum studio versarentur. — Haec viri sanctissimi documenta ineundam bonis viam indicant satis. — Quam maxime interesse pro religione conniti strenue; ad ipsiusque ornamentum atque praesidium omne ingenii lumen referre. — Ex profanis ipsis disciplinis plurimum ornamenti ac dignitatis sacris doctrinis accedere. — Doctorum studia debere esse cum rerum actione coniuncta; hanc autem actionem in iuventute instituenda maxime cerni. — Episcopos in primis vehementer hortatur, ut scholis in fidei integri-

tate retinendis, aut ad ipsam, si opus fuerit, revocandis sedulo advigilent. — Sua parentibus, sua Ecclesiae iura sarta tectaque sint. — Curandum, ut catholici scholas, praesertim puerorum, non mixtas habeant, sed ubique proprias. — Necesse deinde esse, non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem christianae pietatis sensus redolere. — Similiter viribus omnibus contendendum, ut in gymnasiis, lyceis, academiis sua religioni iura serventur. — Plane confidit Episcopos socios et consortes habituros gloriosi laboris e viris doctissimis quamplurimos, praesertim qui muneri instituendae iuventutis praepositi sunt. — Ex communi industria eosdem fructus extituros, quos in suis olim collegiis atque institutis Petrus Canisius est consecutus. — Caelestium munerum copiam peramanter omnibus adprecatur. PAG. 248

Epistola « *Laeti* » die 4 Augusti ad Antonium de Aretin Bar. — Valde gaudet XLIV catholicorum Germaniae conventum Landshuti proxime celebratum iri, uberesque ex eo fructus sperat. — Studia eorum qui coetui cogendo praesunt cohortatione exacuit . . . . . » 260

Epistola « *Compertum plane* » die 19 Augusti ad Archiepiscopum Burgensem. — Eum laudat, quod animum adiecerit ad provinciale concilium, nullo antecessorum exemplo, anno proximo celebrandum. — Synodorum efficaciam effert tum ad abusus tollendos, tum ad pietatem omnem promovendam. — Eius industriae felices exitus optat . . . . . » 262

Litterae Apostolicae « *Compertum est omnibus* » die 22 Augusti; quibus Archisodalitas precum ac piorum operum pro reditu Britanniae ad fidem catholicam, sub patrocinio beatae Mariae Virginis perdolentis, Parisiis in aedibus Sulpitianis rite constituitur . . . . . » 264

Epistola « *Etsi paternam* » die 22 Augusti ad Episcopum Anagninum, ceterosque e provincia Campania romana Episcopos. —

Peculiarem Suam erga Campaniam provinciam, in qua primam lucis usuram accepit, voluntatem studiumque commemorans, episcopos ipsos de beneficio monet quo eorum cuiusque dioeceses augere placuit, Leoniano Instituto Anagniae, aere Suo, exaedificato, et alumnis sacri ordinis addicto, doctrinis optimis instituendis, praesertim philosophia ac theologia. . . Pag. 269

Motu Proprio « *Ad praeclaras laudes* » die 22 Augusti; quo Institutum Leonianum in civitate Anagnina constituitur, et Sodalibus e Societate Iesu moderandum conceditur . . . . . » 273

Epistola « *Consociationum catholicarum* » die 26 Augusti ad Ioannem Baptistam Paganuzzi Com. — Valde gratas Sibi accidisse testatur litteras, Mediolanensis catholicorum coetus, proxime celebrandi, nuncias; vehementerque optat, ut eadem agitent concordes in easque sententias eant omnes, quae maxime temporibus respondeant, amplioremque in actione utilitatem promittant. . . . . » 277

Epistola « *Gratissimas scito* » die 30 Augusti ad Herbertum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Vaughan, Archiepiscopum Westmonasteriensem. — Ipsi ceterisque episcopis et catholicis Angliae universis non uno nomine gratulatur de consilio opportune suscepto concelebrandi, grata recordatione, memoriam beati Augustini, tertio decimo condito saeculo, posteaquam vir apostolicus in Angliam advenit. — Saecularia istaec sollemnia eisdem omnibus stimulos addant, ut fidei unitatis bonum popularibus suis maturare modis omnibus contendant, excitandâ praesertim in animis assiduarum ad Deum precum solertia. — Angliam suam Augustinus ipse respiciat bonus, enixeque ad Deum instet, ut divulsi fratres, in unico demum ovili vero, Pastori summo adiungantur. . . . . » 279

Epistola « *Iucundo* » die 4 Septembris ad Georgium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kopp, Episcopum Wratislaviensem, ceterosque episcopos, qui Fuldam convenerant. — Officiosas

litteras, ab ipsis communiter datas, Sese gratissimas habuisse scribit. — Spectatam iam diu ipsorum in episcopalibus muneribus obeundis solertiam summus pastorum Pastor amplissime munerabit. . . . . Pag. 283

Epistola Encyclica « *Augustissimae Virginis Mariae* » die 12 Septembris. — Adventante mense octobri, fideles omnes, uti in anteactis annis, ad Rosarii precem enixe hortatur. — Principio edicit, inter catholicos adamari magis coeptos pios coetus eosque haberi confertissimos. — Praeclarum in his dignitatis locum assignandum Sodalitati, quae a sanctissimo Rosario nuncupatur. — Eidem Sodalitati nomen ab Ecclesiae scriptoribus inditum fuisse « militiae precantis a Dominico patre sub divinae Matris vexillo conscriptae ». — Quantum in ea Sodalitate virtutis sit, quantum utilitatis ad aeternam hominum salutem. — Eiusmodi institutum eo vehementius omnibus commendat, quod proximo tempore iterum viguerit pulcherrima in sanctissimam Matrem pietatis significatio per Rosarium, quod *perpetuum* appellant; ac valde optat, ut eius incrementis sedulo episcopi naviterque studeant, lectissimosque fructus sperat . . . » 285

Constitutio Apostolica « *Felicitate quadam* » die 4 Octobris; de unitate Ordinis Fratrum Minorum instauranda . . . . . » 296

Litterae Apostolicae « *Insignem* » die 5 Octobris; de electione novi Ministri Generalis Ordinis Minorum . . . . . » 309

Epistola « *Opportune admodum* » die 13 Octobris ad Archiepiscopum Carthaginiensem. — De incrementis catholicae rei in Carthaginiensi archidioecesi magnopere laetatur; idque navitati eius haud secus ac Archiepiscopi decessoris iure libenterque tribuit. . . . . » 312

Epistola « *Quae nuncia* » die 16 Octobris ad Gulielmum Mariam S. R. E. Cardinalem Sourrieu, Archiepiscopum Rothomagensem. — Studium solertiamque eius in sacro munere diu navi-

terque gerendo collaudat, eique annum a sacerdotio inito quinquagesimum, effusis cleri populique laetitiis, proxime expleturo gratulatur ex animo . . . . . Pag. 314

Motu Proprio « *Christianae reipublicae* » die 31 Octobris; de iuribus et facultatibus sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. . . . . » 316

Epistola « *Libenti* » die 2 Novembris ad Augustinum Bartolini, Antistitem urbanum, Custodem generalem Arcadiae. — Pergratum Sibi, Arcadum Coetum suos de variis doctrinarum disciplinis conventus, sub vesperum agendos, proxime instauraturum. — Additas eiusmodi, abhinc decem fere annis, lucubrationes, veteris Instituti formam minime immutare. — Alacriore in dies studio pergant Academiae socii Romanae Sedi suum probare ingenium et solertiam. . . . . » 323

Epistola « *Quam in sanctissimam* » die 4 Novembris ad Maximilianum Zara. — Curas a Se assidue collatas ad pietatem in sanctissimam Christi Matrem in christianis gentibus fovendam commemorans, ephemeridem ab ipso in vulgus editam, quae Virgini a Rosario inscribitur, debita laude prosequitur. . » 325

Epistola « *Cognovimus* » die 12 Novembris ad Archiepiscopum Mutinensem. — De episcoporum provinciae Mutinensis concilio, primum ab instituta provincia celebrando, non uno nomine laetatur. . . . . » 327

Epistola « *Officium plane gratum* » die 25 Novembris ad Adolfum Ludovicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Perraud, Episcopum Augustodunensem. — Varii generis lucubrationes, ab ipso paulo ante missas, luculento testimonio esse scribit studii quo in Anglae gentis utilitatem fervet. — Scriptiones ipsas magnopere valere tum ad animos permovendos qui a fide catholica dissident, tum ad antiquitatem adserendam catholicorum institutorum in Anglis . . . . . » 329

Litterae Apostolicae « *Providentissimus Deus* » die 28 Novembris; quibus sanctus Paschalis Baylon peculiaris coetuum et societatum omnium a sanctissima Eucharistia Patronus caelestis constituitur . . . . . Pag. 331

Epistola « *Quos ad Nos* » die 3 Decembris ad Carolum Dessain. — Eum laudat ob studium, quo, typographicae artis peritiâ et elegantiâ, rei liturgicae operam navat . . . . . » 335

Epistola Encyclica « *Affari vos* » die 8 Decembris ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios foederatarum civitatum Canadensium. — Principio commemorat constantem et veterem Apostolicae Sedis cum Canadensibus benevolentiae vicissitudinem, consuetudinemque officiorum. — Summâ proinde cura Sese animum ad eos casus adiecisse, quos catholicae Manitobensium adolescentulorum institutioni novissima tempora attulerunt. — Placuisse Sibi nihil ante statuere, quam Delegatus Apostolicus in rem praesentem venisset, et quo res statu essent diligenter exquireret ac subinde referret. — Naviter ac fideliter Delegatum ipsum effectum dedisse quod in mandatis acceperat. — Quae superioribus annis legumlatores Provinciae Manitobensis consessu suo de disciplina puerili decrevere, haud exiguum attulisse detrimentum; meritoque episcopos illatam religioni iniuriam ac perniciem libera voce refutasse. — Opportuna tamen sublevatio mali opus fuisset catholicorum concordiâ quaerere. — Etsi emendari aliquid ex ea lege coeptum, nondum tamen iuribus catholicorum in Manitoba consultum satis. — Enitendum maxime, ut omni ex parte consulatur. — Sed necessaria coniunctio voluntatum. — Quid tempus exigat, quid optimum factu videatur, fraterna unanimitate, non sine consilio episcoporum, constituant catholici atque efficiant. — Ad Manitobenses nominatim quod attinet, quam diu rationes suas vindicare nequeant universas, salvas aliqua ex parte habere ne recusent. — Varii generis incommodis aucta liberalitate munificentiaque pergant occurrere. — De instituenda accurate ac sapienter in

provinciis Canadensibus studiorum ratione nonnulla opportune adiicit . . . . . Pag. 336

Motu Proprio « *Sodalium Benedictinorum* » die 15 Decembris; quo Collegium Athanasianum Graecorum in Urbe Benedictinis regendum moderandumque attribuitur . . . . . » 346

Litterae Apostolicae « *Paternam benevolentiam* » die 18 Decembris; quibus Clericorum Ruthenorum Collegium in Urbe constituitur . . . . . » 350

Epistola « *Quod coram* » die 29 Decembris ad Cyriacum Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sancha y Hervas, Archiepiscopum Valentinum. — Epistolam, amoris et officii plenam, ab ipso paulo ante datam, addita etiam, ad angustias Apostolicae Sedis levandas, petriana stipe, haud mediocri solatio Sibi fuisse testatur . . . . . » 354

# APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

## LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCXCVII

Die 21 Ianuarii, ad Patricios Nobilitatis Urbanae . . . Pag. 357

Die 1 Martii, ad S. R. E. Cardinales, redeunte Coronationis die . . . . . » 360

Die 7 Augusti, ad Galliae opifices, pie in Urbem peregrinatos. » 363

Die 23 Decembris, ad S. R. E. Cardinales, redeuntibus Natalis Christi sollemnibus. . . . . » 366

16161